CONSTITUTIO

REI URBARIALIS

REGNI HUNGARIAE.

OPERA, ET STUDIO

CAROLI PAULY,

AD EXCELSAM CANCELLARIAM REGIAM HUNGARICO AULICAM CONCIPISTAE AULICI.

TOMUS II. PARS III.

VIENNAE 1817.

TYPIS GRUNDIANIS.

Cum quibus una est nobis nascendi, moriendique conditio, illis prodesse potius, quam inutiliter dominari deberemus. Uladislai II. decret III. anni 1498. in praefatione §. 1.

CONSTITUTIO

REI URBARIALIS REGNI HUNGARIAE.

PARS III.

PARS III.

DE URBARIALI INSTITUTO.

CAPUT I.

De urbariali edicto anni 1767. eidemque adnexa regulatione, et primitiva instructione urbariali.

1. Benigna rescripta regia in re urbariali edita sat luculenter testantur, quantopere materna suae Maiestatis sacratissimae cura, et sollicitudo regia eo continuo sit directa, ut quidem parte ex una domini terrestres in justis suis juribus liberi ac immunes conserventur, parte vero ab altera conservationi miserae contribuentis plebis, et cum hac indissolubiliter connexo totius etiam regni commodo quam optime prospiciatur, a consequenti eadem contribuens plebs ab omni injusta et illegali dominorum terrestrium oppressione tuta praeservetur, quem etiam in finem sicut conformiter legi, et legali consuetudini elaboratam regulationem urbarialem introducendam, ac per id omnes, qui hactenus vigebant, ac in enervationem et op-

pressionem subditorum tendebant, excessus et abusus plene abrogandos esse statuit sua Majestas sacratissima, ita effectui huius b. intentionis regiae jam manus tantisper quidem admota fuit, dum nonnulli processus urbariales jam suo modo revisi, determinati, ac in executionem quoque sumpti fuerunt, quia tamen in praesens etiam perdurantes rusticorum motus, et inquietudines, et continuae eorum querimoniae promptam omnino, ac celeriorem deposcerent medelam, et neque facile quies eousque reducenda sperari possit, donec in aliis partibus ubi ejusmodi motus erumpebant, inter eosdem contribuentes, qui sub spe, et alio obtinendae alleviationis praetextu insolescere observantur, aequalis ubique, ac uniformis regulatio introducta fuerit, haec porro per successivam (uti hactenus fiebat) processuum urbarialium revisionem, ac determinationem justo tardius cum notabili publici, praeprimis autem dominorum terrestrium detrimento effectuanda foret, hinc ut praeattacta in commodum totius regni, ac etiam privatorum utilitatem directa b. intentio regia debitum suum eo celerius sortiri possit effectum, ac per id tranquillitas etiam publica et cum hac magistratualis non minus, quam et dominalis autoritas, et activitas restabiliatur, una vero qui non levem hucadusque perturbationem subiit, debitus ordo quamprimum reducatur, hanc quae adjacet urbarialem regulationem, reflexe ad demissas nonnullorum comitatuum repraesentationes ultro explanatam et stabilitam, ea ratione introduci vult sua Majestas sacratissima,

ut intra bimestre spatium a die publicationis in generali congregatione absque omni mora praefigenda instituendae computandum, praestationes in eadem regulatione expressae ac definitae suum initium summant, et aequaliter ubique, ac quam exactissime observentur. Et quia juxta b. resolutionem regiam nova haec urbarialis regulatio cuilibet loci communitati extradanda veniat, haec autem si totidem vicibus describeretur, tum graves expensas, uti hactenus compertum est, cum et ingens dispendium temporis, intra quod totidem exemplaria parari possent, sed et magnos labores ipsis magistratualibus, quo similia exemplaria accurate, et sine aliquo vitio conformiter expediantur, et extradentur, cum avocatione ab aliis sibi incumbentibus negotiis publicis generaret, adeo quidem, ut vel per horum descriptionem ac praeparationem ipse progressus regulationis maximopere retardaretur, hinc unice pro acceleratione negotii, et ad evitandos sumptus, lucrandumque tempus, eandem regulationem typis mandari constituit summefata Majestas sua sacratissima ea nempe ratione, ut prout constitutivum sessionis ita et obligatio laborum jugalium praestanda, nonae item in natura vel in quali aequivalenti desummendae, exemplaribus urbarialis regulationis per expressum, et determinate (cum indeterminata, et subditorum conditionata praestatio eidem impresso urbariali instrumento inseri nequeat) inscribatur, ac tandem sub authentico comitatus sigillo communitatibus locorum extradetur.

2. Quam etiam in praemissis exemplaribus

contentam b. regulationem regiam, licet ipsos dominos terrestres absque ullis ambagibus eo promptius ac libentius amplexuros speret sua Majestas sacratissima, quod per eam celeriori gressu et autoritas dominalis, et tranquillitas publica, ac ordo in bonum ipsorum quoque dominorum terrestrium vergens restabiliendus quaeratur, si tamen nefors nonnulli domini terrestres respectu bonorum suorum causas urbariales in sede dominali assummere, et has subsequenter in sedria revideri facere vellent, id ipsum quidem eisdem integrum relinqui vult crebro titulata Majestas sua sacratissima ita tamen, ut ea omnia intra praeattactum bimestrem terminum effectuare teneantur, tanto quidem magis, quod effluxo hoc termino subditus ad majora, quam quae in ipsa regulationis idea continentur, praestanda stringi nequeat, ne ex enascitura hac ratione praestationum, et obligationum inaequalitate, in his praesertim circumstantiis, ubi tranquillitas publica necdum plene reducta habetur, facile ad novos motus et inquietudines ansa et occasio praebeatur.

= (Expost digressio fit ad ea, quae de contractibus locorum, et conventionibus, porro de classificatione locorum, excisione sessionalis constitutivi, robottis et praestationibus colonorum, signanter de nona accurate observari et effectuari debent; de quibus, cum in ipso opere meritorie actum sit, tenores resolutionis hujus isthic attingere superfluum foret.) =

3. His igitur semel praemissa modalitate investigatis, ac plene superatis existentibus, quem-

admodum urbarialis haec regulatio in quatuor exemplaribus expedienda erit, ita unum horum exemplarium domino terrestri, alterum subditis extradandum, tertium vero ad archivum comitatus reponendum, et quartum tandem per comitatum Consilio locument. regio una cum relatione executionali comissarii regii transmittendum erit; ubi tamen quaepiam hactenus jam intervenerunt, vel ulterius intervenirent subditorum querimoniae, hae modalitate per suam Majestatem sacratissimam clementer praescripta mox investigandae, hucque submittendae erunt; ne autem in ipsa etiam urbarialium regulationum executione quispiam disordo eveniat, sed ut haec potius aequaliter ubique peragatur, pro iisdem exequentibus isthic annexam instructionem pariter elaborari fecit summe fata Majestas caesareo regia apostolica, quam praetitulatis dominationibus vestris praemissum in finem hisce communicat Consilium hocce locumtenentiale regium.

4. Ceterum; cum de eo etiam variae ad suam Majestatem sacratissimam querimoniae devenerint, quod nimirum in nonnullorum dominorum terrestrium bonis subditi per officiales et servitores antelatorum dominorum terrestrium saepe durius tractentur, gravibus verberibus, et aliis injuriis afficiantur, quod item variae, eaeque sollicitae per eosdem officiales a memoratis subditis extorsiones fiant, et non modo labores ab his ad privatas ipsorum necessitates, sed et varia munera, et donaria injuste praetendantur, et exigantur, multifarii denique inconvenientiae et

interessentiae actus per eosdem officiales ac servitores cum enervatione et damno subditorum exerceantur, hinc quemadmodum intolerandi hujusmodi excessus, et abusus tum b. intentioni regiae, cum et ipsis legibus e diametro adversarentur, ita b. statuitur, ut primo quidem ipsi domini terrestres in rem hanc, et in antelatos officialium et servitorum suorum ausus, et excessus diligenter inquirant, laesisque subditis suis omnem debitam satisfactionem procurent, quod ipsum, si iidem domini terrestres praeter omnem meliorem spem facere praetermitterent, tunc primum quidem eatenus per magistratum comitatensem serio commoneantur, et si nec hujusmodi commonitio debitum suum obtineret effectum, attunc in sensu et conformitate legis autoritate etiam magistratuali contra eosdem dominos terrestres agatur, in ipsos vero excedentes officiales omni cum rigore, imo pro qualitate reatus, etiam in exemplum aliorum criminaliter procedatur, nisi secus illi magistratus, qui e personali quopiam respectu, vel aliis etiam de causis muneri suo eatenus satisfacere intermitterent, se ipsos etiam propter indignationem regiam gravissimae etiam animadversioni exponere velint.

5. In genere autem quoad restantias apud contribuentem plebem adhucdum haerentes eo peculiariter advertendum, invigilandumque erit, ne hujusmodi restantiae magis accumulentur, verum effectiva earum depuratio ad summum intra 6. 7. aut 8. angaricales terminos procuretur, praevie tamen ipsi exequentes judices intuitu praeattacta-

rum restantiarum, computum cum antelatis subditis ineundum, et una hac occasione eo sollicite adlaborandum habebunt, ut si quae etiam inter dominum terrestrem, et ejus subditos extant praetensiones, hae plene et ex integro complanentur, ac in quantum possibile erit, pro aequo et justo mutua compensatione sufferantur, circa quas tamen subditorum restantias benigne declarandum duxit summe fata Majestas sacratissima, quod quemadmodum hactenus subditorum robottae plerumque arbitrarie, et magna in parte excessivo numero exactae sunt, ita etiam in computum ejusmodi restantiarum datiae quidem et reliquae praestationes, nullatenus vero servitutes colonorum assumendae erunt.

6. Quamvis porro tum publica lege, cum et pluribus b. ordinationibus regiis statutum haberetur, ut non modo omnes excessus diligenter praecaveantur, sed etiam ipsa telonia sicca, omnique privilegio destituta simpliciter abrogentur, quia tamen suae Majestati sacratissimae relatum esset, in nonnullis locis hujusmodi telonia etiam nunc vigere, hinc ex parte comitatus omnimode invigilandum erit, ut illegalia ejusmodi telonia, ac alii etiam cujuscunque generis, et speciei, et per quoscunque inducti, contraque tenorem positivarum regni legum patrari soliti teloniales excessus plene tollantur, subsequenter hac in parte excedentes domini terrestres praevie per comitatum serio commoneantur, et si nec erga hanc commonitionem a continuandis hujusmodi excessibus desisterent, attunc mediante etiam actione fisci

magistratualis contra refractarios illegaliumque hujusmodi teloniorum sublationem non admittentes suo modo et ordine procedatur, et de casu in casum genuina eatenus informatio Consilio huic regio locumtenentiali submittatur.

7. Porro cum vigore praeattactae urbarialis regulationis subditorum optioni relinquendum sit, num in terreno domini sui, si adest, telonium illud in natura, vel loco hujus moderatos labores, ad reparationem et conservationem viarum absque imputatione praestare malint, ideo in posteriori hoc casu ex parte comitatus omnis sollicita cura, et vigilantia eo adhibenda erit, ne hoc reparationis onus debito plus in subditos derivetur, verum etiam in passu hoc justa laborum proportio pro ratione beneficii ex immunitate telonii participandi commensuranda exacte observetur; cum dein relatum habeatur, in diversis comitatibus magnum in eo quoque vigere excessum, quod ubi aliqui delinquentes subditi ad carceres comitatenses deducuntur, occasione ipsius incaptivationis nimium excessivis taxis graventur et onerentur, hinc ut genuina hac de re informatio haberi possit, praetitulatis dominationibus vestris hisce comitti, quatems super eo, quidnam videlicet titulo taxae ab ejusmodi delinquentibus subditis desummatur, et quorsum ac in quales usus eadem taxa convertatur, sufficientem informationem horsum submittere non intermittant.

8. Quoniam porro suae Majestati sacratissimae innotuisset, quod ob diversitatem judicum in uno eodemque loco saepius nec quanti portiona-

lis obtingentia aequaliter inter communitatem repartiri, neque alia communitatis negotia abs que partialitate pertractari soleant, ideo comitatui injungi, quo sedulo eo intendat, ut in uno eodemque pago licet plures domini terrestres essent, attamen unus duntaxat judex constituatur.

9. Cum demum praeadnexi urbarii puncto 4. §. 6. praescriptum foret, ne subsidium diaetale dominis terrestribus praebendum debitam moderationem excedat, posterioribus vero temporibus varios excessus eatenus intervenisse observatum fuisset, ideo ut pro futuro etiam hujus intuitu norma quaepiam justa proportione statui possit, benigne decrevit sua Majestas sacratissima, ut praetitulatae dominationes vestrae non solum, quidnam per decursumultimae praeteritae diaetae per dominos terrestres tali titulo exactum fuerit, verum etiam, qualis hoc in passu pro futuro proportionata norma statui possit, genuinam ac circumstantialem informationem super praemissis horsum quantocius submittant.

10. Et quia et id observatum esset, quod nonnulli liberae migrationis coloni sub priori suo domino terrestri, cujus jurisdictionem exuerunt, quaqua ratione injuriati, aut damnificati, intuitu hujusmodi injuriarum suarum debitam satisfactionem ex eo consequi non possint, quod alii domini terrestres, quorum jurisdictioni semet subjiciunt; vel propter evitandas expensas, vel alia quaqua de ratione partes ipsorum assummere, causasque ipsorum promovere negligant, hinc ne iidem subditi quoad praetensiones suas justa satis-

factione in omnem casum destituantur, clementer statuit altefata sua Majestas sacratissima, ut primum magistratus comitatensis dominos terrestres, quorum videlicet jurisdictioni dicti liberae migrationis coloni semet subjecerunt, serio in eo commoneat, quo iidem via lege praescripta, iisdem subditis intuitu querimoniarum, et praetensionum suarum omnem satisfactionem procurent, et si nec erga hanc commonitionem id facere et exequi vellent, attunc negotium hoc colonorum in sedria ipsius comitatus sub assistentia magistratuali suo modo et ordine assummatur, partibusque jus et justitia debite administretur, ut autem laesis et injuriatis tanto promptius justitia administretur, ipsaeque causae ad sedem dominalem pertinentes eo celerius assummantur, ac decidantur, benigne vult crebro summe fata Majestas sua sacratissima, ut in majoribus dominiis quovis anni quadrante, semel, in minoribus vero dominiis ad minimum semel in anno sedes dominales praevie tamen subditis publicandae celebrentur, in his subditorum querimoniae et gravamina audiantur, justitiaque iisdem administretur, porro opus sedis dominalis semper in sedria referatur, quae si in revisione hujus operis compererit rusticis quampiam injuriam illatam esse, pro re comperta ex officio condignum remedium ponat.

Et haec sunt quae praetitulatis dominationibus vestris hisce de b. jussu regio significat, notaque reddit, ac una intimat Consilium hoc locumtenentiale regium, ut in praemissis declaratam b. voluntatem regiam, eaque omnia ea cum exactitu-

dine, et promptitudine, iisque studiis ad amussim implere et exequi contendant, ut quae pro materna cura, et providentia regia hoc in merito sollicite anhelavit, ea optato etiam effectui mancipata, cum magno subditi populi commodo, ac inde redundante solatio experiri valeat sua Majestas sacratissima, id una clementer praecipiendo, quo praetitulatae dominationes vestrae non modo erga dominos comissarios regios quavis occasione decentem respectum exhibeant, verum etiam in omnibus iis quae per eosdem ad exigentiam b. ordinationum regiarum in negotio urbariali disponentur, debitum effectum omni cum promptitudine procurare haud intermittant. Datum ex Consilio regio locumtenentiali Posonii die 23. januar. anno 1767. celebrato. Praetitulatarum dominationum vestrarum. Benevolus, ad officia paratissimi. Albertus m. p. Iosephus Klobusiczky m. p.

Sequitur provocatum urbarium.

Urbarium possessionis, vel oppidi N.

PUNCTUM I.

De constitutivo sessionum colonicalium.

§. 1. Cum quasvis datias, et servitutes urbariales, qualitati, et constitutivo sessionum approportionari oporteat, constitutiva vero non ubique aequalia, sed situi et qualitati territoriorum, ac reliquorum beneficiorum vel maleficiorum acco-

modanda sint, ideo in hac possessione, seu hoc oppido quoad fundum intravillanum decernitur, ut ipse modo dictus fundus intravillanus unius integrae sessionis colonicalis, inclusa area, horto, horreique loco duarum metretarum posoniensium capacitatem adaequare debeat, ita ut quidquid in fundi sessionalis extensione ad capicitatem duarum metretarum posoniensium deesset, illud in extravillanis agris, aut pratis suppleri, quidquid e contra capacitatem duarum metretarum posoniensium superaret, illud viceversa in appertinentias extravillanas imputari debeat, nisi supernatantia haec adeo modica sit, ut nec unius quadrantis metretae capacitatem excedat, cum eadem, qua exiguitas, alioquin attentionem quampiam haud mereatur.

§. 2. — Pro fundo extravillano ad unam integram sessionem colonicalem agrorum jugera nro- — singulo jugero 2 metretarum posoniensium capaci,

Prata vero numero — in anno s e m e l, a u t b i s f a l c a b i l i a exscindantur.

§. 3. — Quodsi tamen in agris, vel pratis quidpiam ad requisitum constitutivi numerum deesset, id suppleri mutuo potest, singulo agri jugero pro prato unius currus capaci, et vicisim computato.

§. 4. — Quidquid de integra sessione praenotatum est, idem de media, quartali, aut octavali sessione a proportione intelligendum esto.

PUNCTUM II.

De beneficiis colonorum.

§. 1. Colonis juxta articulum 36. 1550. educillatio vini a festo S. Michaelis usque ad festum nativitatis Domini, vel S. Georgii militis et martiris libera sit.

§. 2. Extirpaturas si quas subditi tenent, dominus terrestris ab iisdem accipere, aut in appertinentias sessionales imputare secus non possit, nisi erga conscientiosam comitatus pro ratione laboris praemittendam aestimationem, et taliter limitandi pretii paratam bonificationem.

Si qui tamen fundi antiquioribus temporibus extirpati, et successive sessionales effecti sunt, naturamque extirpatitiorum amplius non retinuerunt, seu vero colonis extirpantibus de loco migrantibus de manu in manum ita devolvebantur, ut moderni rustici possessores extirpaturas ab aliis derelictas, absque ullo mercedis, aut fatigiorum concursu, et investitione teneant, tales sub sensum praecitati quoad extirpaturas earumque redemptionem paragraphi haud cadunt.

§. 3. Pro pecoribus subditorum, in quantum situs territorii admiserit, pascuum sufficiens sit, e quo dein coloni pro jugalibus pecoribus cum praescitu tamen, et indultu dominali partem pascui prohibititii exscindere possint, ita tamen ut ad tale exscissum pascuum quoque propria domini terrestris jugalia, nullatenus vero armentalia pecora accessum pariter habeant; ubi tamen in quopiam territorio pascuum jam alioquin est nimis

restrictum, ibi nova pascui subaratione, aut alio modo illud magis non constringatur.

§. 4. Lignatio focalis, ubi sylvae praeexistunt, e deciduis aut aridis lignis et in horum defectu ex ipsis etiam vivis arboribus, non tamen fructiferis ad propriam duntaxat necessitatem subditis licita sit.

§. 5. Aedilia ligna, erga assignationem tamen dominii, et arborum designationem in eodem territorio colonis gratis concedantur.

§. 6. Si focalis lignatio in proprio territorio ob exilitatem sylvarum non suffecerit, haec etiam in aliis dominii sylvis proportionate tamen admittatur.

§. 7. Glandinatio colonis in territorio incolatus sex cruciferis minore, quam alii extranei solvunt, pretio admittatur, in praedialibus vero sylvis beneficio hoc glandinationis fruentur erga censum cum dominio pactandum.

§. 8. Si in aliquo loco ad rationem communitatis excisae, vel vero singillativis sessionibus adrepartitae sylvae reperirentur, et talia loca in usu earundem persistere cuperent, tunc iisdem focalium et aedilium lignorum usus, nec non glandinatio et gallarum collectio in talibus sylvis absque ulla in vicem huius dependenda dominio suo praestatione, ad propriam duntaxat necessitatem libera quidem sit, e converso dominus terrestris in tali casu lignationem aut glandinationem subditis in sylva sua dominali admittere haud tenebitur, nisi in sylva communitatis, vel colonorum sylvis nullae penitus glandes procrearentur, tunc enim dominus terrestris ad rationem colonorum suorum

glandinationem praeferenter, eo tamen, quo extraneis pretio admittet, salva ceteroquin tam in his, quam et aliis sylvis superinspectione penes solum dominium manente.

PUNCTUM III.

De robottis et servitutibus colonorum.

§. 1. Quilibet integrae sessionis colonus domino suo terrestri singula hebdomada una die ab ortu solis usque ad occasum imputato itu, et reditu, horis praeterea pabulationis, et adaquationis exceptis, cum duobus jumentis et suo curru, in ipsa tamen aratura quatuor jumentis, suo aratro aut occa laborare teneatur, neque tamen praenotatum jugalium numerum bipartiri, et ad repetendum hac ratione biduo laborem colonum cogere licet, nisi negligentia, vel culpa sua ad defraudandum dominum terrestrem pauciora jugalia servet, vel minore pecorum numero ad robottam compareat, alterique pecus suum ex culpabili pecorum defectu conjungat, porro in vicem praeattactorum jugalium laborum domino terrestri singula hebdomada colonus duntaxat duorum dierum manuales labores praestare obligetur, atque ita a proportione mediae, quartalis, aut octavalis sessionis colonus serviet.

§. 2. Si de imputatione temporis in itum et reditum inter dominum terrestrem, et subditum exorta fuerit quaestio, hanc magistratus comitatus decidat, quantum videlicet temporis robotta

ad hanc, vel illam in specifico distantiam subdito veniat acceptanda.

§. 3. Admittitur porro, ut a remotiori loco mediae nempe diei, vel majori etiam distantia veniens subditus praevie de hoc itinere, et labore edoctus, ut se in eundem parare possit, quatuor diebus una cum itu et reditu computandis in robotta seu manuali, seu vero jugali detineri possit, quo in casu pecoribus aestate de sufficienti pascuo, hieme vero tam colono, quam et pecoribus de necessaria commoditate per dominum terrestrem prospiciendum erit.

§. 4. In unius, vel ad summum semialterius horae distantiae, mensibus novembri, decembri, januar. et febr. crepuscula matutinum et vespertinum itui et reditui ita deserviant, ut domino terrestri a solis ortu usque ad occasum realis labor obtingat, aliis vero mensibus in ipsas servitutes a solis ortu usque occasum praestandas tam itus quam reditus imputetur.

§. 5. Tempore falcaturae, messis, et vindemiarum culturae robotta seu jugalis seu vero manualis dupplicato perficiatur, in reliquas hebdomadas imputanda.

§. 6. Ubi autem ad unius, vel mediae diei distantiam propter imputationem itus, et reditus superiori §. admissum est, ut subditus una cum itu et reditu quatuor continuis diebus in robotta detineri possit, ibi id ipsum occasione praerecensitorum ferventium laborum in praemisso longioris distantiae casu bis in mense ea ratione repeti potest, ut alternis solum hebdomadis domino ter-

restri laboretur, atque adeo unius hebdomadae quatuor dies robottae dominali, ituique et reditui cedant, altera hebdomada subdito, et tertia iterum domino terrestri eodem modo deserviat, in reliquos hebdomadales labores imputanda.

Generaliter tamen in omnis generis robotta ea observetur proportio, ut ad minimum totius anni obtingentiae quartalitas pro sex hibernalibus mensibus reservata maneat.

§. 7. Quodsi autem labor robottalis ob interventam pluviam, aut aliud impedimentum peragi nequeat, tota illa diei pars ante, vel etiam postmeridiana, qua labor caepit quidem, interrumpi tamen ex praevio incidenti debuit, imputetur in robottam, si vero nihil laboravit, sed jussus venit duntaxat, et rediit colonus, solus itus et reditus in partem robottae acceptandus veniet.

§. 8. Inquilinus propriam domum habens diebus 18 — subinquilinus vero 12 diebus per annum manuali labore servit.

§. 9. Quanquam autem subditus domino suo, non aliis, quam quae de lege, et huiusce urbarii praescripto eidem incumbunt, servitutibus teneatur, aequum tamen est, ut in eo casu, si cui alteri manualem operam locare vellet, eandem domino praeferenter erga aequalem nihilominus conveniendam bonificationem et mercedem aut libere cum rustico pactandam, aut vero in casibus, qui de lege comitatus communi limitationi subjacent, per comitatum limitandam, et parato exsolvendam praestet.

§. 10. Viceversa ad redimendas aere robottas

colonus cogi non possit, quodsi tamen seu temporanea, seu vero perpetua conventione de harum redemptione cum domino terrestri pactare velit, id quidem praesente comitatus testimonio licitum esto, in priori nihilominus casu, si partium alterutra a temporaneo illo contractu recedere, huicce urbariali regulationi inhaerere vellet, id ipsum uno anno prius, ut ita futurae oeconomiae utriusque in tempore prospici possit, declarari, et coram comitatu insinuari debebit.

§. 11. Omnes contractus, seu singillatim cum colonis, seu vero cum ipsis communitatibus per dominum terrestrem de reluitione robottarum, aliarumque praestationum urbarialium ineundi fiant coram consueto comitatus testimonio, exarendationes nihilominus regalium, aliorumque beneficiorum dominalium, et super his, ceterisque ad urbarium haud influentibus objectis inter colonos et dominum terrestrem cum libertate ineundi contractus, absque etiam testimonio comitatus licite semper valideque iniri poterunt.

§. 12. Praeter et ultra ordinarias robottas coloni singulis annis unam longam vecturam praestare teneantur, circa quam haec observanda erunt:

1. ut quatuor integrae sessiones, atque ita a proportione minoris classis coloni conjungendo, vel modalitate, qua ipsi inter se convenerint, unum quadrijugum currum praestent.

2. ut haec non corruptis viis, commodo itinere peragatur, neque duarum dierum distantiam ordinario cursu eundo excedat.

3. Tempore araturae, messis, falcaturae, et vindemiarum exigi nequeat.

4. Neque in sequentem annum differri, vel aere, vel naturalibus redimi, aliove labore commutari.

5. Si praemissa vectura ex quopiam incidenti duos dies illuc eundo excesserit, aut redeundo currus per dominium oneraretur, superflui quoque dies illi, et ipse etiam reditus ex robotta supputandi erunt.

6. In via nauli, teloniorum, tricesimarum, et quorumvis vectigalium, nec non hospitii in diversorio, ubi condescendere debent, expensas dominium ferre teneatur.

§. 13. Ex ratione lignationis tam focalis quam aedilis subdito gratis admissae, singulus colonus integrae sessionis 4 jumentis provisus, e sylvis per officialem dominalem designandis, unam orgiam lignorum focalium per duos manualistas praevie consecandam ad curiam vel allodium dominale, aliumve intra limites quidem dominii destinandum locum devehere teneantur, et sic a proportione mediae, quartalis, et octavalis sessionis coloni.

§. 14. Licebit interea domino terrestri hunc ipsum laborem alia aequivalenti coloni opera commutare, ita ut devectio quidem jugali unius diei labore; ligna vero caedentium duorum manualistarum singillatim itidem unius diei labore manuali hieme perficiendo peragatur.

§. 15. Colonus, nonam, ubi hanc in natura praestat, aut jus montanum ad locum in territorio procreationis designandum, extra imputatio-

nem robottae convehere tenebitur, omnis interim alia frugum etiam decimalium, et allodialium convectio, praejuncturae item et vecturae, seu privatis, seu vero publicis negotiis domino aut ejusdem officiali praebendae, literarumque deportatio, et alius cuiuscunque generis labor rusticorum praeter illa, quae in hoc, et aliis punctis expresse declarantur, in robottam urbarialem imputandus veniet.

§. 16. De cetero ad praestandam qualemcunque etiam pro pretio vecturam colonos invitos compellere non licebit, verum si dominus colonum extra robottam pro devectione naturalium ad nundinas vel fora, vel alio conducere vellet, cum colono, an et qua mercede vecturam ejusmodi praestare cupiat, conveniendum erit, citra ullam coactionem.

§. 17. Ad extirpandas rapaces feras, ubi tales reperiuntur, coloni extra robottam triduana venatione, acceptis a dominio plumbo et pulvere pirio tenebuntur, ita tamen, ut hoc venationis obligamen, nec in aliam servitii speciem immutetur, neque per subditum aere vel naturalibus redimatur.

§. 18. Quamvis colonus seu in servitiis, et robottis dominalibus, seu vero ad perficiendos labores suos oeconomiales, aut ad molam pro commoliendis frugibus suis eundo, telonium domino suo solvere non teneatur, quodsi tamen in aliis negotiis per viam telonialem proficiscatur, vel parato aere vectigal teloniale solvere, vel proportionato ad reparationem ejusmodi viarum gratuito

labore concurrere obligetur, optione eatenus subdito relicta.

PUNÇTUM IV.

De datiis et praestationibus

§. 1. Colonus non minus, ac inquilinus propriam domum habens titulo census annui solvet indistinctim domino terrestri fl. 1. in duabus ratis, festo quippe S- Georgii, et S. Michaelis praestandum, subinquilini vero ab hac solutione census sint exempti.

§. 2. Quilibet integrae sessionis colonus praestabit domino per annum pullos 2 — capones 2 — ova 12 — butiri liquati mediam unam, et sic a proportione mediae, quartalis, et octavalis sessionis coloni ad has datias praestandas obligantur.

§. 3. Ultra has nunc expositas datias singuli 30 integrae sessionis coloni semel in anno praestabunt vitulum, hujus loco fl. 1. xr. 30.

§. 4. Praeterea occasione solennitatis nuptiarum domini vel dominae terrestris, (nullatenus vero filiorum vel filiarum elocandarum) ita et primitiarum (exceptis et hic capitulis et conventibus) moderatum subsidium in victualibus, superius §. 2. specificatis singulus colonorum secundum proportionem integrae, mediae, quartalis aut octavalis sessionis dominio praestet.

§. 5. Optioni tamen domini terrestris, relinquitur, an praemissa victualia, et honorarium nuptiale, ac primitiale in natura, vel vero horum loco aequivalens pecuniarium a colono videlicet

integrae sessionis xr. 48. atque ita juxta proportionem a reliquis percipere velit.

§. 6. Secundum veterem consuetudinem ad tenorem articuli 39. 1548. si dominus terrestris bello captus in talem captivitatem incideret, ut caput suum proprio aere redimere necessitaretur, in hoc casu coloni domino suo pro redemptione capitis aliquod tolerabile subsidium praestare teneantur, subsidium vero diaetale, quod illis duntaxat dominis praelatis et magnatibus, qui per regales nominatim ad diaetas vocantur, praebendum est, ne debitam moderationem excedat, magistratualibus comitatuum invigilare incumbet.

§. 7. Ab olla crematoria, si hac subditus realiter et effective usus fuerit, solvet domino terrestri annuos duos florenos.

§. 8. A terris noviter extirpandis conventio quoad terragium inter dominum terrestrem et subditum ineunda, a terris vero antehac extirpatis usus terragii ad hoc usque tempus praestiti observetur, nullatenus tamen augmentetur.

PUNCTUM V.

De nona et jure montano.

§. 1. (In illis locis ubi nona in natura desummitur). Ab omnibus terrae nascentiis, exceptis tamen hortensibus sessionalibus — apibus item et agnellis et haedis in illo anno procreatis nona a colonis in natura praestabitur, non tamen in pecunia exigenda, nec ad alias species extendenda, ubi autem praedicta nonae obnoxia,

apes, agnelli et haedi nonum numerum non adacquarent, a singulo agno xr. 4. — haedo xr. 3. — apum alveari autem xr. 6. dominio praestabuntur.

(In illis locis, ubi nona in natura non praestatur). Cum in hac possessione vel oppido nona in natura domino terrestri hactenus praestita non fuerit, ideo loco hujus singulus integrae sessionis colonus nonae loco praestabit pro aequivalenti — — mediae, quartalis, aut octavalis sessionis colonus autem a proportione hujus aequivalentis obligationem feret ita tamen, ut in universum per hanc aequivalentis praestationem etiam nona agnellorum, haedorum, et apum comprehendatur.

§. 2. Horum nonatio conformitate articuli 69. 1647. ultra festum S. Joannis Bapt. non differatur, nona autem frugum demessarum usque festum S. Stephani (nisi aeris temperies obstet) desummenda veniet, ubi autem haec propter intemperiem aëris, aut tardiorem ex defectu maturitatis frugum messem ad praefixum terminum peragi nequiret, attunc comitatus tempus, intra quod nona et decima desummatur, definiet, ac in reliquo, nisi nona ad tempus (uti praemissum est) praefixum, aut in his casibus prafigendum exacta fuerit, liberum erit colonis fruges suas nona in campo relicta abvehere.

§. 3. Si terrae, de quibus jam nona semel praestita est, altera vice in anno semine fruibili inseminentur, de his illarumque fructibus nec nona, neque decima amplius praestetur, prout et ab agris illis, qui in defectu foenilium aut fundi

sessionalis, vel pratorum in horum adaequationem colono assignabuntur, nona exigenda haud erit.

§. 4. Ex canabe et lino, vel nonam vel filaturam in sex libris per dominium suppeditandae canabis aut lini, colonus integrae sessionis, et sic a proportione mediae, quartalis, et octavalis sessionis praestet.

§. 5. Quantumvis quaestio decimarum an et cui et ex quibus competat, ad regulationem non pertineat, in quantum nihilominus decima ab illis rerum speciebus, quae articulo 1. 1481. non specificantur, alicubi nefors exacta fuisset, haec omnis aboletur, et praecise ad species praecitato articulo denotatas ita restricta manet; ut de his unice, nullatenus autem de aliis ibi non nominatis speciebus desummatur.

§. 6. Nona vini, ubi haec desummitur, ab illa specie, in qua ipsa procreatio mensurata est, rite et absque omni additamento exigatur, et tam in hujus quam et juris montani desumptione non alia, quam mensura posoniensis a 32 pintis computanda, ad tenorem legum adhibeatur.

§. 7. Quoniam art. 97. 1715. claris verbis innuat, ne jus montanum ultra antiquam consuetudinem augeatur, sed et compluribus legibus praecautum esset, ut jus montanum non alia quam posoniensi mensura desummatur, ideo ad exigentiam harum legum statuitur, ut ubicunque a tempore praecitati articuli anno utpote 1715. vel ipsa quantitas antehac praestiti musti per aliam a posoniensi differentem, adeoque abusivam mensu-

ram adaucta, vel vero aliae quaepiam novae praestationes introductae fuissent, hae omnes qua illegales, et excessivae mox sufferantur, ac ipsa quantitas juxta praecitatam antiquam consuetudinem praestanda ad mensuram posoniensem reducatur, ubi vero post tempus conditi illius articuli novae vineae et nova promontoria implantala, ac tempore talis novae implantationis quantitas juris montani vel per scriptam consuetudinem, vel secus pactata fuisset, ibi talis cum ipsa nova implantatione conventa quantitas musti ad mensuram posoniensem reducenda ulterius etiam praestetur, si tamen et in his novis promontoriis ab eo tempore novae praestationes quaepiam adjectae haberentur, hae pariter qua illegales et abusivae juris montani auctiones in instanti penitus tollantur.

§. 8. Ne autem contra praescriptum legum jus montanum ultra praeattactam antiquam consuetudinem imposterum quoquo modo augeri valeat, in singulo tali loco, ubi illud desummitur, specifica connotatio vinearum per subditos possessarum, et quantum ab his titulo juris montani juxta mensurum posoniensem obveniat, sub authentico comitatus expedienda et tam penes dominum terrestrem ac subditos, quam et ipsum comitatum asservanda erit.

§. 9. Si autem in promontoriis plane nulla esset vini procreatio, tenebitur quidem subditus jus montanum domino suo terrestri in eadem quantitate praestare, cum tamen illud non in aere parato, verum in natura exigendum sit, ideo in

tali casu hoc jus montanum primum ex subsequi anni procreatione praestandum erit.

PUNCTUM VI.

De juribus, beneficiis, ac regalibus dominio competentibus.

§. 1. Caduca subditorum bona coloni sibi non usurpent, verum illico post deficientis mortem detegant dominio, quae prouti et profugorum bona, salvo tamen art. 18. 1723. dominus terrestris sensu tituli 30. Part. 3. recipiendi habeat facultatem; jure tamen et aere alieno praevie deducto.

Cum superextantibus pupillis caducitas non detur, et in bonis etiam divisis deficiente uno succedant reliqui condivisionales, ideo ad praecavendos omnes eatenus evenire queuntes excessus res caducitatum per solos dominales officiales deinceps non tractentur, verum hac in sede dominali suo debito modo assummantur, et juxta praescriptum antelati tituli 30. part. 3. determinentur, ac tandem negotium hac ratione coram sede dominali determinatum ad sedriam comitatus referatur.

§. 2. Si porro severiori subditorum tractatione desertas sessiones evenire contingat, casum in illum sessiones desertae sicut ceteri fundi, qui connumerationem portarum jam ingressi sunt (si profugi non revertantur) aut novis colonis relinquantur, aut vero reliquis in loco degentibus erga praestandas dominio juxta praesentem regulationem proportionatas servitutes, et datias attribuantur.

§. 3. Sensu articuli 18. Ulad. decret. 5. et ar-

ticuli 22. 1729. omnis generis venatio, aucupium, et piscatio, in quibusvis piscosis aquis, praecise ad jura domini terrestris spectant, adeoque haec omnia subditis strictissime inhibita sunto.

§. 4. Quamvis quidem subditis educillatio vini ad certum tempus praemisso modo competat, ubi tamen pro recipiendis itinerantibus instructum dominale diversorium extat, vel erigetur, in eodem diversorio cujusvis potus epocillatio per totum annum salva manebit, prouti etiam omnis cremati et cerevisiae educillatio, ac liquorum praeparatio praecise ad jura dominalia pertineat.

§. 5. Si dominus terrestris fundamento articuli 36. 1550. alicui colonorum educillationem concredere voluerit, talis interea, donec vinum educillat, ab hebdomadali servitio liber sit, et insuper educillationis merces a singula urna in denariis 4 per dominium eidem exsolvatur.

§. 6. Proventus fori, nundinarum (nisi hos ipsis communitatibus praevie privilegialiter collatos haberi dignosceretur) macelli item, et telonii legitime constituti veluti jura regalia, et respective privilegialia pro dominio terrestrali in salvo maneant.

PUNCTUM VII.

De sublatis, et in futurum praecavendis omnis generis excessibus, et abusibus.

§. 1. Siquidem dominio, qua orphanorum protectori defunctorum colonorum pupillos post se relinquentium substantiae cura alioquin incum-

bat, idcirco taxae caducitatum, conscriptionisque bonorum demortuorum colonorum, instituendae item inter pupillos divisionis exigendae, cujuscunque generis tolluntur.

§. 2. Laudemium, et taxa literarum gveralium, seu decimalitas pretii rei testamento legatae, cambiatae, aut venditae per dominum terrestrem desummenda abrogatur.

§: 3. In libera, tabacae, mellis, cerae, butiri, lini, canabum, aliorumque naturalium, cuique et a quocunque voluerint emptione et venditione subditi per dominium nullo modo turbentur, multo minus contrabanda, vel aliis mulctis pecuniariis, sive vero in corpore ob venditas res sudore et industria quaesitas puniantur, salva duntaxat ad sensum articuli 75. 1715. pro dominio praeemptione, deposito illo, quod libere conventum fuerit, pretio, nec per imputationem futuri census, sed praesentis pecuniae numeratione, praeemptio quoque haec sensu praeallegati articuli ad propriam dominii necessitatem intelligatur, neque per hanc occasionem extranei causa emptionis ad territorium ingredi volentes arceantur, aut coloni res venales alio devehere prohibeantur seu facto, seu mandato; neque ideo rés colonorum detineantur, sed prout colonus cum extraneo convenerit, erga tale pretium instantanee de ponendum praeemptio pro dominio admittatur, justo rerum pondere, et statera observatis, adeoque venditio pro colonis libera maneat, neque ad vendendum dominio suo, si nolint, cogi possunt.

§. 4. Quemadmodum monopolia positivis le-

gibus vetita sunt, ita nec arendationes rerum et naturalium ad quaestum pertinentium cum exclusione, aut restrictione subditorum fieri possunt.

§. 5. Subditus nullo modo adstringatur molis dominalibus uti, sed liberum eidem maneat, ad alias etiam molas suas fruges devehere.

§. 6. Arenda educilli Bahnweingeld dicta, et nonnullis in locis per abusum introducta, cum ad hanc colonus nulla ratione stringi possit, simpliciter suffertur.

§. 7. Praestatio fimi pro futuro suffertur, ea quippe ratione, ut subditi proprium fimum nunquam, dominalem autem nonnisi cum imputatione ad robottam, seu ad vineas, seu aliorsum pro dominio vehere teneantur.

§. 8. Illegalis et insolita ad rationem dominii plumarum decimatio, et deplumatio anserum subditorum in quibusdam dominiis hactenus usitata penitus abrogetur.

§ 9. Sed neque stramen ad religandas vites pro dominio subministrare obligentur.

§. 10. Merces custodibus vinearum dominalium et revisoribus laborum dominalium in quibusdam dominiis hactenus per subditos, soluta, tollitur.

§. 11. Hominum dominalium ad executiones exmissorum intertentio, ac praeter grossum executionalem modalitate in §. ab infra declarata admissum, alia quaevis praestanda parati aeris diurna solutio, nec non quaevis hajdonum, et venatorum dominalium exactiones penitus sufferuntur.

§. 12. Pecunia a subditis titulo fidejussio-

nis, et securitatis de non profugiendo non exigatur, ac nefors jam exacta cum fructibus restituatur.

§. 13. Praestatio onerum quarterialium, ac census Hußarengeld, prout et Montirungsgeld dicti, ubi hactenus irrepserunt, abrogantur.

§. 14. In ipsis locis, ubi communitates macella sibi habent exarendata, elustratorum pecorum macellatio subditis per dominium non imponatur; neque alias caro quaecunque seu frustratim seu libratim in colonos distribuatur pretio exsolvenda, sed emacilletur, et per colonos cum libertate, sineque aggravio ematur.

§. 15. Colonis nec naturalia, nec victualia ad emendum, vel vendendum obtrudantur, sed nec corrupti vini, aut cremati, alteriusque potus educillatio et distractio ulla ratione, adeoque nec vasatim nec justatim iisdem imponatur, sed nec ii de corrupto vino, vel alio potu ad educillandum dato respondere, nec denique extra robottam vacua vasa devehere aut revehere teneantur.

§. 16. Pennaticum et taxa messorialis, non secus pintae gustatoriae, et schaedalis, ac torcularis pecuniae vulgo Preßgeld dictae exactio, prout et decimatoribus, ac nonatoribus per colonos praestanda intertentio, et alii nonatorum et decimatorum excessus penitus sufferuntur.

§. 17. Occasione collectionis vini; seu nonalis seu decimalis, seu juris montani, subditi ad suppeditanda propria vasa non adigantur.

§. 18. Universae et singulae quocunque sub praetextu excogitabiles, in superioribus punctis

vero non contentae naturalium, et datiarum praestationes penitus abrogantur, ac pro sublatis declarantur.

§. 19. Cambiatio denique et permutatio fundorum sessionalium aliter licita non sit, quam si in locum permutandorum alii quantitate, qualitate, et fructuositate aequales colono per dominium assignati fuerint, secus autem accepti fundi in specie restituantur.

PUNCTUM VIII.

De iis, quae subditis interdicta sunt, et de futuris eatenus poenis, et mulctis.

§. 1. Birsagia sub quocunque excogitabili praetextu non alias, quam in expressis lege casibus, et ab illis solum colonis desummantur, qui in sedibus dominalibus praesente comitatus testimonio, judice nobilium nempe et jurassore legitime convicti fuerunt, salva et in his ad sedriam appellata.

§. 2. In mulctis vero praeter birsagialibus, ubi damnum in campis illatum fuerit, cum de invagiatione pecorum et pecudum provisio legis extet, haec rite observetur.

§. 3. In aliis demum mulctarum casibus, ubi justa de causa subditi puniendi venirent, excedentes juxta casus lege decisos, aut ab infra specificatos non in pecunia, velut miseram plebem exhauriente, neque in pelle puniantur, sed in poenam unius, duarum, aut ad summum trium dierum labores manuales praestare teneantur, dictandi tamen in poenam labores, araturae, messis, et fal-

caturae, prout et vindemiarum tempore haud exigi poterunt, sed alio anni tempore per delinquentem praestandi erunt.

§. 4. Quamvis autem (uti immediate dictum est) rustici nec in parata pecunia, nec in corpore puniendi sint, quia tamen eveniret nonnunquam, quemadmodum oris sui libertate, aut corpore deliquit, vel secus per poenalem 3 dierum laborem coerceri nequiret, ita ut eundem in corpore castigare oporteat, hinc in quibusvis similibus casibus observandum veniet, ut ubi de poena afflictiva agendum erit, attunc delinquenti (si sana et robusta persona fuerit) pro qualitate delicti ad summum 24 baculorum, aut pro qualitate sexus 24 scuticanem ictus infligendi statuantur, quod si autem puniendus gravioris aetatis esset, aut fractarum alias virium, talis poena aresti pro qualitate circumstantiarum, et delicti etiam in jejunio cum pane et aqua subeundi puniendus erit, eo tamen observato, ne colonus titulo talis poenae extra casus gravioris delicti ad judicium ipsius sedis dominalis spectantis diutius, quam per tres dies a perficiendis laboribus suis abstrahatur.

§. 5. Rusticus qualitate delicti ita exigente, ad carceres dominales conjiciendus et invinculandus pro incompedatione, ubi incompedationis taxa hactenus in usu fuit, non plus quam 15 xros solvere teneatur.

§. 6. Subdito absque indultu dominii sub poena amittendae mercedis et refundendorum damnorum extirpaturas imposterum facere licitum non sit, dominium e contra, uti praemissum est, fun-

dos extirpatitios non alias, quam reddita extirpantibus juxta conscientiosam comitatus limitationem laboris mercede, recipere et retinere potest.

§. 7. Cum sylvas conservare dominio intersit, nulli subditorum vivas arbores, nec virgulta pro saepibus, neque perticas pro circulis, aut palos absque speciali dominii indultu secare, hasque et illas in aliud terrenum transponere, et vendere, ac per consequens quaestum cum lignis exercere licitum erit.

§. 8. Quod dein poenas colonorum sylvas succidentium concernit, subditus sylvas succidens, aut decorticans ad damnum resarciendum obligetur, ac insuper poena 3 dierum manuali labore perficiendorum puniatur, quod si nihilominus poena hac subditus a succisione sylvae non deterreretur, eotum autoritate magistratuali comitatus excedentes ultro coercendi, dominoque terrestri eatenus assistentia praebenda erit, ut tales pro qualitate gravioris delicti ad exemplum aliorum severe puniantur.

§. 9. Collectae pecuniariae, aut naturalium intra colonos sub poena 24 baculorum sunt vetitae.

§. 10. Sabellicorum dolosa in sylvas dominales impulsio, si tales sabellici in ipso prohibitae sylvae loco deprehensi fuerint, dupplici pro subditis limitata glandinationis taxa mulctetur.

§. 11. Gallarum quercinarum collectio, et glandium decussio soli dominio competat, colonisque sub poena contrabandae, et 3 dierum manualis laboris dominio praestandi vetita sit, e con-

verso nec dominio licebit, colonos ad colligendas extra robottam gallas adstringere.

§. 12. Nemo colonorum arma gestare, canesque venaticos servare audeat sub praemissa 3 dierum manualis laboris poena.

§. 13. Extra terminos lege praescriptos, et superius praenotatos cujuscunque potus epocillatio colonis sub incursu poenae contrabandi, triduanique laboris manualis toties quoties sit interdicta, in locis tamen, ubi promontoria habent, colonis propriae in territorio dominali procreationis vinum sub tempus etiam educilli dominalis pro domestica necessitate inducere, et illud liberum sit bibere.

§. 14. Si rusticus ad robottam vocatus culpa vel negligentia sua haud compareat, 12 baculorum ictibus puniatur.

§. 15. Si quis in praejudicium macelli dominalis ab extraneis locis carnem inducere, vel ipsemet carnes emacillare erga pretium attentaret, talis praeter contrabandam toties quoties 3 dierum manuali labore plectatur.

§. 16. Demortuorum colonorum viduae se praescripto articuli 21. Ulad. D. 7. accomodent, id est etiamsi alteri nupserint, praeter dominorum suorum permissionem ex domo recedere nequeant. secus substantia earundem arbitrio domini terrestris subjiciatur.

§. 17. Mutuum communitatis nomine absque praescitu dominii contrahendum aeque interdicitur

§. 18. Advenae sine scitu dominali non reci-

piantur, porro venditiones, emptiones, cambia, et legata quorumvis fundorum sessionalium, eorundemque appertinentiarum sine praescitu dominii terrestralis sub amissione summae investitae, vetitae sunt; in illis tamen casibus, quibus coloni de lege liberam vendendi facultatem habent, cum praescitu quidem dominii id agant, vendere nihilominus etiam absque annutu dominii possint.

PUNTUM IX.

De iis, quae ad internam regulationem spectant.

§. 1. Pro officio judicis dominium tres candidet, ex quibus ipsa communitas unum in praesentia officialis dominalis libere eligat, quem dominium attamen demeritis ita exigentibus deponere et amovere, ac etiam punire possit licite, in locum autem amovendi substitutio fiat praemissa modalitate, notarium vero ipsa communitas sine concursu dominii eliget et dimittet.

§. 2- Judices propter praestanda nefors dominio terrestrali servitia, vel quacunque alia ratione a contributione sub qualicunque praetextu haud immunitentur.

§. 3. Ut repartitio quanti contributionalis inter colonos instituenda secundum ideam comitatus aequanimiter fiat, et ne fraus aliqua intercedere possit, dominium superintendat, rationesque a judice loci absque ullo tamen subditorum aggracio desuper exigere aequum et necessarium est.

§. 4. Casu vero quo dominus terrestris praemissam rationum exactionem omitteret, hunc do-

minii defectum magistratus comitatensis supplebit.

§. 5. Ipsa tamen taliter repartiti obtingentis incassatio, et ad cassam comitatus deportatio praecise penes locorum communitates, et judices pagenses maneat, adeoque comitatus attendat, ne ad hanc domini terrestres, et officiales dominales se imittant.

§. 6. Juxta praesentem urbarialem regulationem competentes dominio obtingentiae per subditos eidem dominio rite dependantur, et in casum morositatis subditi executione etiam mediante, ad depensionem obtingentiarum suarum adstringantur, adeoque exmittendis hunc in finem executoribus grossus executionalis per subditos morosos dietim ea ratione exsolvatur, ut haec unius grossi executionalis obtingentia tantum pro illis, qui pro executione realium restantiarum, non autem qui in aliis dominalibus negotiis exmittuntur, intelligatur.

§. 7. Ut pressis, qui quaqua ratione injuriam patiuntur, prompta justitiae administratione subveniatur, si querelae illorum ejusdem dominii subditum, vel inquilinum tangerent, justitiae administrationem ab ipso dominio vel ejus officialibus quaerant, si autem per ipsos dominales officiales ipsis quaepiam injuria, aut damnum illatum fuisset, tunc ad dominum terrestrem recurrant, et si nec ab eodem satisfactionem obtinere quirent, ad comitatum semet convertant, si tandem eorundem querimoniae ipsum dominum terrestrem respicerent, et neque erga preces suas remedium

consequi possent, eotum directe ad comitatum suum recursum summendum habebunt.

§ 8. Dominus terrestris tamen vel huius officiales rusticos propter recursum vel ad comitatum vel ad superiores instantias factum punientes, velut hac ratione in rusticos saevientes considerentur.

INSTRUCTIO

urbarialem regulationem exequentibus magistratualibus deservitura — (quae successive in fusius systema redacta et typis impressa est, prout in eadem parte 3. operis huius attingetur.)

1. Dum magistratuales comitatus ad executionem urbarialis regulationis exmissi fuerint, hi primo quoque tempore, data praevie dominio terrestri, et incolis loci illius notitia ad faciem bonorum regulandorum exeant, dominum terrestrem conveniant, ab eodemque domesticam, si habetur, conscriptionem pro lumine et quadam manuductione sibi communicari expetant, tunc vero seu illam obtinuerint, seu non; progrediantur in conscriptione praevie excepto a senioribus incolarum super sincera revelatione appertinentiarum, et beneficiorum iuramento.

2. Conscriptioni huic vel ipsi domini terrestres, aut eorum officiales intersint, et si quampiam subditorum sinistram observarent revelationem, eandem mox declarent, ut taliter tanto citius genuina rei veritas erui queat.

3. Si revelationi subditorum domini terre-

stres, vel eorum officiales non aquiescerent, toties quoties necessarium judicaverint, ad faciem loci exequentes magistratuales exeant, et rem investigent, ac etiam de capacitate agrorum probam instituant, ut vel hac via cognoscant, an per colonos revelata veritati sint consentanea; nec ne?

4. Ut autem sciant, qualis mensura ad unum jugerum agrorum duarum metretarum posoniensium capax requiratur, ad eorundem exequentium directionem deserviet, in gleba fertili 1100, gleba mediocri 1200. in gleba sterili 1300. orgias quadratas de ordinario ad unum tale jugerum calculari.

5. Pascuum quoque oculate inspiciant, et si illud intertenendis pecoribus rusticorum insufficiens esse observaverint, agant cum dominis terrestribus, eorumque officialibus, qua ratione huic insufficientiae subveniri possit.

6. Sylvas etiam oculent, et recognoscant, num communitas aut rustici excisas per dominium habeant, vel vero in locum sylvarum necessaria focalia, et aedilia ligna conformiter puncto regulationis 2. per dominium suppeditentur.

7. Si communitas, aut rustici sylvas habeant excisas, easdemque eorum domesticae exigentiae juxta regulas in caesione lignorum communiter observandas omnino suffecturas adverterint, tunc rusticis optio relinquatur, num easdem sylvas excisas sibi ultronee reservare, per id autem omni in aliis sylvis dominalibus exercendo qualicunque gratuitae lignationis, ac per limitandam inferiorem taxam participandae glandinationis usui renuncia-

re, vel vero erga haec communia ac perpetua beneficia easdem sibi excisas sylvas dominio resignare malint?

Si primum, reservationem utpote talis sylvae praeelegerint, declarandum iisdem erit, quod et harum sylvarum superinspectio penes dominium maneat, neque alter illarum usus, quam praecise ad propriam eorundem necessitatem admittatur, juvenesque arbores scindere, vel capras in tales sylvas imittere ipsis nulla ratione liceat, si autem easdem sylvas potius dominio restituere velint, tunc hae sub ipsa urbarialis regulationis executione dominio reassignentur, subditisque declaretur, beneficia circa lignationem et glandinationem in ipso urbario declarata iisdem in futurum competere.

8. Constituantur porro adhuc ante conscriptionem iudex et jurati cum aliquot senioribus super 9. interrogatoriis punctis (de quibus eadem parte 3. agitur) eorundemque fassio in scriptum redigatur sigillo communitatis munienda.

9. Quemadmodum ex hac fassione prodeat, num nona hactenus in natura desumpta fuerit, vel non, ita etiam posteriori in casu, tam domini terrestres, quam eorum officiales, et subditi eotum statim praemonendi erunt, ut dum ipsa urbarialis regulationis executio peracta fuerit, sine ulteriori protelatione et una et alia pars, an et quale aequivalens praeeligatur, mox declarent, omnimodam nihilominus exequentes magistratuales in singulo loco adhibebunt operam, ut rusticus ad

nonam in natura praeeligendam bonis modis persuaderi possit.

10. His terminatis, peractaque conscriptione, pro promulgatione urbarialis regulationis terminum ad summum unius circiter quindenae praefigant, interea conscriptionem cum comissariis regiis communicent, impressa urbariorum exemplaria ab iisdem obtenturi.

11. Dum pro ipsa executione ad locum praevie jam descriptum pervenerint, tunc demum si subditi pro nona in aquivalenti praestanda semet declaverint, puncto urbariali 5. illa aequivalentis species, quam dominus terrestris praeeligit, inserenda erit.

12. Non absimiliter ex praecitatis novem punctis apparebit et id, qualis circa currulem robottam vel bijugalem vel quadrijugalem hactenus communis et continuus fuerit usus, et num 2. aut 4 pecoribus terra in eodem loco communiter aretur? si declaratio domini terrestris et subditorum eatenus aequalis non fuerit, tunc studeant genuinam veritatem praehabiti usus, vel in facie loci, vel etiam vicinis, si opus fuerit, praevie adjurandis rescire, comperta rei veritate autem urbariali regulationi eam currulis laboris qualitatem inscribant, quae hactenus etiam in continuo et communi usu fuit, prout et paragrapho de aratura sonanti eotum inserendum veniet, num colonus duobus, aut quatuor pecoribus arare teneatur; superato hoc

13. Ulterius investigandum veniet, an potior pars oeconomiae dominalis in agricultura, vel

vero in vineis consistat, priori in casu paragrapho de dupplicatione robottarum sonanti ly agrorum; posteriori vero in casu ly vinearum culturae inscribendum erit.

14. Praeparato taliter toto regulationis opere urbarialem regulationem de verbo ad verbum in lingua vernacula praesentibus incolis et domino terrestri; si adesse voluerit, aut ejusdem officialibus promulgabunt, quod dein subscribent, munientque sigillis, ac voculas illas, et paragraphos, quos manu sua judex nobilium regulationi in vacuis locis inseruerit, etiam in fine post subscriptionem exscribet et recognoscet haec manu sua praemissae urbariali regulationi inscripta fuisse.

15. Continuabunt executionem salutari tam erga dominos terrestres, quam et subditos adhortatione, ut haec quae in praevia regulatione secundum altissimam resolutionem praescripta sunt, et ad communem salutem permansionemque plebis, et praecavendos omnes excessus, et abusus pertinent, exacte observent, subditi quidem singulariter ad obedientiam et tranquillitatem colendam, et illa omnia, quae in patentalibus continentur, observanda, vicissim vero, quae ibi prohibentur, sub comminatione carcerum, laborumque praesidialium, et pro gravitate delicti horrendae etiam mortis poenae, vitanda, severe commonendi erunt; domini vero terrestres, et notanter eorum officiales ad b. rescriptum regium sub comminatione actionis fiscalis contra excedentes, et in praesentis urbarialis regulationis puncta peccantes erga fundatam sub-

ditorum querelam irremissibiliter erigendae reflectantur.

16. Peracta et hac cohortatione assumment excisionem sessionalis constitutivi, et prout ex totalitate omnium conscriptarum appertinentiarum facile eruere poterunt, quot a proportione colonorum integrae, mediae, quartales, et octavales sessiones prodire queant, ita etiam cointelligenter cum dominis terrestribus, aut horum officialibus omnibus viribus in id intendent, ut in quantum possibile erit, universae hae sessionales appertinentiae vel ex ipsis redimendis extirpaturis, vel e desertis, aut censualibus, aut ipsis allodialibus fundis in integras, medias, quartales, et octavales sessiones adaequate redintegrentur, vel vero his deficientibus ex ipsis fundis, quos unus alterve colonus ultra praescriptam mensuram suae sessionalis quottalitatis possideret, aliarum sessionum defectus suppleatur, ita tamen, ut tali in casu illud superplus nonnisi ab iis, qui alioquin ultra proportionem et necessitatem longe plus quam alii tenerent, accipiatur, et talis fundorum adaequatio semper ad illam proportionem fiat, cui modernum possessorium maxime accedit, facta hac distributione et sessionum adaequatione, si de fundis hactenus possessis quid remaneret, tales supernatantes fundi tantisper et donec fors et hi noviter accessuris pluribus neo impopulandis sessionibus necessarii erunt, erga proportionate abinde ferenda onera iis praesertim assignentur colonis, qui non solum ad excolendos hos fundos

magis capaces, sed et his fundis plurimum indigi erunt.

In qua nihilominus tam sessionalium quam et supernatantium fundorum distributione ea generalis observanda erit regula, ne huiusmodi fundi in minores portiones quam in octavales sessiones dividantur; consequenter et ipsa distributio non stricte juxta integras, medias, quartales, sed magis juxta octavales sessiones ita fiat, ut unusquisque colonus pro tot octavalitatibus, quot possidebit, praestanda praestare debeat.

17. Urbariali tabellae per comissarios regios sibi extradandae omnis generis praestanda calculo arithmetico eruenda, de individuo ad individuum inscribent, et hanc tabellam sub quadruplici exemplari expedient.

18. Declarabunt tamen et dominis terrestribus et ipsis subditis, ut si penes fundorum revelationem per horum sessionalem excisionem fors error aliquis intercessisset, et hunc una vel altera pars per geometricam dimensurationem reipsa evenisse suo loco remonstraret, tunc non obstante hac prima fundorum sessionalium excisione parti laesae talis erroris justa compensatio semper in salvo manebit.

19. Si vero una vel altera pars sub ipsa urbarialis regulationis executione semet laesam esse praetenderet, et exequentes magistratuales rem sub ipsa operatione componere non possent, tunc terminetur quidem eo non obstante executio; tota tamen difficultas cum omnibus eo pertinentibus

circumstantiis in executionis relatione genuine et circumstantialiter exponatur. Unde sequitur

20. Quod exequentes magistratuales in omnibus et singulis peragendis urbarialibus executionibus de tota rei gestae serie, tam comissario regio, quam comitatui genuinam et circumstantialem relationem facere, ipsique comitatui non tantum subditorum fassiones super 9 punctis interrogatoriis in originali, verum etiam urbarium, et tabellam urbarialem in quadruplici, aliam vero in ipso urbario denotatam specificam juris montani (ubi illud datur) connotationem in triplici exemplari fine necessariae authenticationis praesentare debeant, omnem operam adhibituri, quo talis executio urbarialis in pace et tranquillitate eaque cum exactitudine terminetur; ut et dominus terrestris ad mentem hujus urbarialis regulationis in justis juribus et proventibus suis manuteneri, et simul etiam miserae contribuenti plebi de omnibus iis, quae ad debitam ejusdem conservationem, et stabilem mansionem pertinent, congrue prospiciatur.

ART. I.

De urbario hungarico.

Colonorum praestationes, datias, et servitutes quibus dominis suis terrestribus obstricti sunt, beneficia item et concessiones, quae colonis competunt, ac denique particulare eorundem obtutu constitutivi sessionalis ipsis emensi tractamentum complectitur urbarium; cuius praeliminares propositiones in regni comitiis 1764. Posonii celebratis intervenerunt. Fixam igitur regulam dominio

terrestrali et colonis in ratione etiam ipsius subditelae praescribit urbarialis regulatio per articulos 35. 1791 — 12. 1792. et 3. 1796. in qualitate interimalis provisionis una cum instructione urbario adnexa rati habita. (nro. aul. 6466. 10103. 1802. 11029. 11034. 1805.). Quam salutaris, ac paterna respectu contribuentium fuerit administrationis publicae haec ordinatio, sub glorioso regimine immortalis M. Theresiae anno 1765 et subsequis interventa, patet vel exinde, quod priusquam in regno urbarium provisorio modo superatis complurimis difficultatibus, atque remotis, quae obstabant impedimentis, quaeve uberius ex ipsa instructione comissariis regiis in re urbariali ad comitatus regni exmissis extradita ad §. 23. et 24. colligi possunt, adoptatum fuisset, sors colonorum in manibus dominorum terrestrium locata nimium precaria, atque pro ratione horum sentiendi aut agendi normae variis vicissitudinibus obnoxia, incertam fluxamque eorundem conditionem reddere debuerit, stabilitasque possessorii tenutorum colonicalium eo incertior fuerit, quod instructio ipsa pro magistratualibus urbarialem regulationem exequentibus, signanter cap. I. §. 2. ad p. 5. uberius perhibeat, prius, quam urbarium fuisset introductum, terras colonorum sessionales novae in annos singulos distributioni obnoxias fuisse, cap. II. autem §. 3. p. 9. innuat affatim, colonos terras et prata non ubivis stabiliter emensa habuisse, verum horum usum et modalitatem inter ipsos de anno in annum per sortes distributivas cultivandi viguisse.

Anno citato 1765. 31. octobris una etiam comissio urbarialis penes Consilium regium locumt. sub praesidio comitis Ioannis Csáky cum 4. Consiliariis est introducta: actuario communiter calamum ducente.

Urbaria locorum innuente comissariorum regiorum instructione §. 18. 19. in quatuor exemplaribus per exequentes magistratuales concinnanda, ex quibus unum concernenti dominio terrestrali, alterum loci communitati consignandum, tertium pro comitatu, quartum vero pro Consilio regio locumtenentiali deserviturum.

Jam vero ipsum urbarium ceteroquin impressum, quod unicuique loco urbariali regulationi subjecto, una cum ceteris urbarialibus instrumentis consignari debet, tam in natura, quam in aequivalenti continet 9. puncta;

1. Agit de constitutivo tam sessionis intra, quam extravillanae, constat §. §. 4.

2. De beneficiis et juribus subditorum §. §. 8.

3. De robottis et servitutibus subditorum §. §. 18.

4. De datiis, et caeteris praestationibus §. §. 8.

5. De nona et jure montano §. §. 9.

6. De juribus et beneficiis dominalibus §. §. 6.

7. De sublatis abusibus et excessibus in futurum evitandis §. §. 19.

8. De iis quae colono prohibita sunt, et de poenis contravenientibus irrogandis §. §. 18.

9. De interna loci admistratione.

Urbarium in natura est ab infra magno *A.* signatum, in aequivalenti autem urbarium est ab

infra pariter sed parvo *a.* notatum, estque relate ad substantiam ipsam, et tenores per totum sibi utrumque aequale, excepto puncto 5. de nona et jure montano sonante, quod punctum 5. illam unice differentiam sistit, quae depensionem nonae vel in natura, vel in aquivalenti pro ratione locorum usus, et introductae normae concernit, ceteris paragraphis conformiter sonantibus. Urbaria sunt linguis hungarica, germanica, slavica et illyrica concinnata, pro ratione vigentis linguae communitatibus extradanda; sunt autem in merito differentia quadrupplicis ordinis urbaria, ut pote, hungaricum, banaticum, slavonicum, et croaticum.

Vestigia tractamenti urbarialis colonorum reperiuntur jam sub Colomanno D. L. I. cap. 19. dein art. 16. et 18. 1351. — et art. 39. 1486. — fusius ratio urbarialis instituti patet ex corpore juris hungarici, et in eodem contentis legibus, quae in comitiis annorum 1514. 1548. 1550. 1553. 1556. 1566. etc. latae et sancitae sunt.

Urbarium, seu urvum antiquis venit ab urbare, sive urvare, quod idem significare praetenditur, ac arare, (urvalistae, aratores) aliorum autem sententia a germanica voce, urbar (cultivabilis) originem suam habere statuitur.

ART. II.

De urbario banatico.

Quantumvis comitatuum districtus temessiensis utpote Temess, Torontal et Krassov urbarium 1780. praestabilitum, ac aliud hungaricum inter, combina-

tione praevie utriusque adinvicem facta sese nonnullae evolvant differentiae, cum tamen districtus illius populo olim denudati, tam antiquarum coloniarum reliquiae, quam eo etiam evocatae pro novis colonis numerosiores exterae familiae jam cum exordio occeptae postremae impopulationis, relate ad praestationes urbariales penes contractus impopulationales tractatae fuerint, eadem urbarialis regulationis ratio iisdem impopulationalibus contractibus post plures etiam medio tempore interventas tractamenti mutationes innixa, usuque longiori roborata suam tandem stabilitatem obtinuit.

Praeattactum urbarium banaticum complectitur septem sectiones.

1. Agit de constitutivo et ipsius subdivisione, constat paragraphis tribus.

2. De beneficiis colono competentibus, praesertim de epocillatione §. 1.

3. De lignatione et glandinatione §. 3.

4. De robottis, et servitutibus, nec non praestationibus colonorum §. 6.

5. De decima §. 5.

6. De juribus dominalibus.

7. De electione judicum et ceterorum.

ART. III.

De differentia urbarii hungaricorum a banaticis comitatibus in specie.

1. Constitutivum intravillanum unius integrae sessionis in comitatibus hungaricis est juxta urbarium pag. 1. §. 1. unum jugerum capax 2 metretarum posoniensium, et sic generatim a propor-

tione relate ad mediam sessionem, quartalistas item, et octavalistas ejectationi constitutivi locus est; in Banatu autem citra qualitatem aut nomenclationem sessionis est semper jugerum unum.

2. Extravillanum constitutivum in hungaricis, terrae arabiles quidem in 5 classes, prata autem in 3 classes divisa sunt, agri complectuntur jugera pro ratione classium inde a 16 usque 36—40 jugera — prata autem itidem a proportione classium a 6 usque 31 falcastra.

In Banatu colonus integrae sessionis citra discrimen classium habet titulo constitutivi colonicalis sessionalis 34 — mediae sessionis colonus 19 — quartalista 11 — octavalista 7 et respective 8 jugera.

3. Quantitas unius jugeri in hungaricis comitatibus a 2 metretis posoniensibus computati, habita ad qualitatem glebae reflexione constituit 1100 vel 1200 vel 1300 quadratas orgias.

In Banatu unum jugerum ubivis fine observandae uniformitatis complectitur citra reflexionem glebae 1600 quadratas orgias.

4. Praestationes in victualibus in Hungaria non recipiunt classificationem, quia colonus integrae sessionis citra defixas classes ubivis aequaliter iisdem praestationibus dependendis, et servitutibus obligatur, in Banatu autem hae praestationes unius integrae sessionis colonicalis in tres classes subdivisae sunt, ita ut colonus unius integrae sessionis colonicalis in

1.	Classe	titulo	victualium	solvat	51	xr. in
2.	—	—	—	—	$38\frac{1}{4}$	— in
3.	—	—	—	—	$30\frac{1}{2}$	—

et sic a proportione.

5. Coloni in Hungaria subsidia dant occasione nuptiarum domini terrestris, primitiarum item, nec non pro redemptione domini terrestris ex captivitate hostili, diaetalia item subsidia, et praestant longam vecturam, coloni autem in Banatu ab his immunes sunt. In locum autem nonae juxta urbarium hungaricum stabilitae in Banatu decima dominio dependitur.

6. Quoad robottas; coloni in Hungaria has in natura praestant, neque in ipso urbario reluitio earundem ad specificum reducta aut organisata est; generali tantum eatenus provisione existente, in Banatu autem juxta defixam et adprobatam tabellam accurate, quantum colonus in natura praestet, quot item robottas reluat, in eadem tabella determinatum est; prout suo loco uberius attactum est.

7. Fundis constitutivorum sessionalium in Banatu inhaeret onus; quia urbarium proprietatem fundorum sessionalium colonis securam reddit; aliudque etiam contributionis, quam in Hungaria, obtinet systema, e contra fundis in hungaricis comitatibus vigore articuli constitutionalis onus non inhaeret, adeoque concomitantia etiam jura, iisque admensurata onera differentiam causare debeant.

8. Quod juxta urbarium hungaricum signanter punct. 2. §. 5. et 6. colonis lignatio aedilis et focalis, ubi sylvae adsunt, erga sectionem et devectionem lignorum pro parte dominii iisdem incumbentem secus gratis competat, in Banatu autem lignationem hanc non gratis, sed erga taxam

sylvanalem vel convento pretio a dominis terrestribus subditi accipiant, ceterum ab onere sectionis et devectionis lignorum immunes.

9. Quod in urbariis hungaricis spatia vacua hinc et inde relicta sint, quae pro ratione tractamenti colonorum calamo exequentis magistratualis suppleri, et quibus spatiis respective ad complementum sensus inserenda inseri, et inscribi debent, in urbario autem banatico nulla idmodi spatia conspiciantur, tractamento colonorum juxta adoptatum systema generaliter ibidem defixo.

10. Abaestimatio sessionum colonicalium in casu legis in Hungaria habet locum; e contra vigore urbarii banatici cap. I. §. 2. dominalis jurisdictio constitutiva sessionalia abaestimandi et ad se recipiendi jus non habet. Et isthoc unicum relate ad proprietatem fundorum colonicalium discrimen est, cujus in reliquo proprietatis eminens dominale jus tam in hungarico, quam etiam banatico urbario dominia terrestralia respicit; caractere eodem peraeque in Austria defixo, ubi in recognitionem hujus eminentis juris census quoque colonicalis nomine terragii, locum obtinet. De natura et indole fundorum colonicali sessionalium in Hungaria, vide et consule I n t r o d u c t i o n e m.

ART. IV.

De objectis inscriptionum, quas in spatiis urbariorum vacuis inseri oportet.

Urbaria, quae unicuique locorum pro norma extradari solent, sunt impressa, ita tamen, ut multae in iisdem vacuitates, seu spa-

tia vacua eum in finem exponantur, quatenus pro ratione substrati, et adjunctorum eaedem vacuitates calamo scribentis secundum suam actualitatem expleri et suppleri possint. Quamvis enim principia urbarii ubivis eadem sint, et conformis eorundem spiritus, circumstantiae tamen locorum non ubivis unius ejusdemque generis, ad generalia haec defixa principia variam sortiuntur applicationem, cui scopo etiam vacuitates in urbariis relictae sunt.

Instructio exequentium magistratualium in urbarialibus cap. V. §. 15. diserte praecipit, ut magistratuales exequentes procedant ad insertionem et inscriptionem eorum, quae in vacuis urbariorum locis concernenter ac competenter, adhibitaque attentione perquam maxima inserenda et inscribenda sunt. Ut vero hoc in labore eo tutius et facilius progredi possint, pro eorundem inviatione, et directione, citata instructione sub L. et nro. 11. praescripta est in triplici lingua hunc in finem deservitura modalitas.

Praemisso eo, quod urbario in qua demum cunque lingua ceteroquin colonis vernacula impresso, ante omnia nomenclatio possessionis aut oppidi, pro quo urbarium sonat; et extradatur, praeinseri debeat maiusculis literis a fronte, quaestionata inscriptionum objecta agunt de sequentibus.

1. De numero jugerorum et falcastrorum inserendo, prior capacitatem terrarum arabilium, posterior pratorum designat.

2. De epocillatione, si coloni promontorium habeant, aut si vineis careant.

3. De defectu pascui, et immunitatione a butiri praestatione.

4. De currulibus et araturae laboribus quot jugalibus perficiendis?

5. De inquilinis vel etiam colonis fundos quospiam quantitatem octavalis sessionis non adaequantes possidentibus.

6. De casu gratuiti arundineti usus in vicem lignationis colonis admissi, aut si lignatione et arundineto destituantur.

7. De casibus, si qui colonorum in aliquo loco integras duas aut tres etiam sessiones colonicales fundo intravillano provisas possiderent.

8. De insertionibus relate ad nonam in aequivalenti praestabilitam, obtutu praeelecti aequivalentis seu in robottis, seu in parata pecunia.

Et haec sunt objecta, de quibus in urbarii vacua spatia relinquuntur, quibus spatiis quippe juxta praestabilita quoad singulum praeenarratum punctum principia, in I. et II. parte operis hujus uberius suis locis attacta, calamo per exequentes magistratuales necessariae inscriptiones in spiritu altissimae intentionis regiae inseri debent.

Quibus insertis, et debite suppletis, urbaria locorum praescripto modo adjustanda, et expedienda sunt.

ART. V.

De 15. prohibitorum punctis.

Prohibitorum 15 puncta generalia, quae 21. julii, et 29. decembris 1766. publicanda praecipiebantur, sub H. et nro. 8. instr. exeq. mag. cap. 4. contenta sunt:

1. Pennaticum et Sarló pénz, item intertentio nonatorum, et decimatorum prohibetur.

2. Elustratorum pecorum imponenda subditis emacillatio, item cujuscunque carnis inter subditos distributio.

3. Corrupti vini, vel cremati epocillatio, item butiri, casei, aut his similium venditio, prout et vacuorum vasorum gratuita revectio ne imponatur subditis. Si tale vinum apud subditum corrumpatur, is de hoc respondere non tenetur.

4. Praeemptio pro dominio juxta art. 75, 1723. salva manet, ita tamen ut pretium quod extraneus promittit, illico numeret dominium.

5. Dominales hajdones et venatores non onerent subditos.

6. Collecta seu pecuniae seu frugum sub 24. ictibus prohibetur.

7. Rationes reddantur dominio, vel si hoc negliget exigere, comitatui.

8. Venditae, cambiatae, aut legatae substantiae decimalitatem non desummet dominium.

9. Mulctae pecuniariae inhibentur, exceptis casibus lege expressis, sed et in iis praevie sub sede dominali convincantur subditi, salva appellata ad sedem judiciariam comitatus.

10. Subditus ad robottas, vel culturam suae oeconomiae iens, vel ad molas pro sua necessitate, a solutione telonii liber est.

11. Subditus non adigatur ad molas dominales.

12. Quaestus subditis liber est. Exarendatio quaestuum vetatur.

13. Nec stramen pro ligandis vitibus dominalibus, nec fimum dent subditi.

14. Mensurae aridorum, et liquidorum posoniensi mensurae accommodentur.

15. Subditorum anseres ne deplumentur ad rationem dominii.

Intuitu locum punctorum prohibitorum, quae per circularia via Consilii regii locumtenentialis expedita intimata, non tantum in ipsis generalibus congregationibus, verum in singulo individuo loco publicanda, ac sub authentica comitatus expeditione in lingua cuique loco gnara extradanda disponebantur, an et qualiter, ac quando subsecutus fuerit realis praedesideratus effectus, et num haec hactenus observata extiterint, diligenter omnino investigabitur, et pro casu, ac praeattacta dispositio effectuata haud extitisset, haec absque mora debito effectui mancipanda infallibiliter procuretur; proque procurando certiori hujus ordinationis effectu ab exequentibus magistratualibus de qualiter compertis et effectuatis per comissarium regium informatio capiatur, punctorum illorum in linguis germanica, hungarica, slavica et illyrica universis comitatibus impresse transmissorum exemplaribus Posonii impressis, pro casu allegandae in comitatibus insufficientiae a Consilio regio locumtenentiali hungarico cum numerica specificatione expetendis. Instr. com. reg. §. 5.

Quanta in emolumentum, et stabilem subditelae conditionem provisio!

In instructione autem exequentium magistratualium cap. IV. pro procuranda punctorum horum observatione haec sunt:

Quemadmodum praecedaneis jam annis pun-

ctorum prohibitorum in quadruplici lingua circularis ubique publicatio, ac exactissima observatio b. jubente sua Majestate sacratissima per Consilium regium locumtenentiale universis comitatibus intimabatur, disponebaturque, ut puncta haec prohibitorum singulo loco in illa, qua idem utitur lingua, sub authentico comitatus sigillo et extradata notariali extradentur, et consignentur, vigilantiaque horum observationis magistratualibus comitatensibus comittebatur, huncque in finem requisita etiam consimilia exemplaria transmittebantur, ita iidem exequentes magistratuales fini mancipata in praedeductis punctis contentorum operatione in singulo loco investigent, num et quando suprafata puncta in eodem loco publicata, eidemque extradita fuerint? extradita vero sibi produci curent, haecque denuo coram insimul convocatis loci illius subditis incolis publice, ac punctatim perlegant, eosdemque interrogent, num in quopiam puncto excessum fuerit? et si quaepiam evenirent querimoniae, extunc has sub jurata fidedignitate sua genuine ac fideliter adnotare, desuperque dominum terrestrem vel ejus officiales audire, et respective confrontare, realiterque compertorum excessuum effectivam complanationem, in quantum fieri potuerit, in instanti procurare, ac seu complanatae in instanti fuerint, seu non, desuper comissario regio medio vicecomitis talem genuinam, et circumstantialem relationem facere obligantur, ut ex hac non solum omnes qui intercesserunt, excessus, sed etiam an, et qualiter complanati fuerint? diluci-

de et exacte dignosci valeant, ac intuitu non complanatorum mox ulteriora opportuna disponi possint. Una vero puuctorum horum exactissimum observamen coram se existentibus dominis terrestribus, vel eorundem officialibus, et subditis altissimo nomine regio imponent.

Si vero praeter omnem spem, et expectationem puncta ista prohibita hactenus seu nulli, seu huic vel illi loco, seu plane non, seu absque praescripta authentica expeditione fuissent extradita, casu in hoc peraeque medio vicecomitis comissario regio fine illo faciant genuinam relationem, ut statim sub proxima comitatus congregatione istiusmodi defectus suppleri, authenticae expeditiones mox adpromptari, ac dein praescripta modalitate, requisita sub authenticatione singulo loco indilate consignari valeant.

ART. VI.

De excessibus et motibus rusticanis contra introductionem urbarii etiam ope militaris assistentiae vindicandis.

Quamvis quidem prioribus annis erumpentes hinc inde rusticani motus, et inquietudines ita esse sedati undiquaque dignoscantur, ut peramplius assistentiae militaris necessitas non esse videatur, si tamen praeter spem, et exspectationem emergerent casus tales, in quibus comissarii regii expensis nihilominus praevie sollicita cum vigilantia, et attentione, omnibus ad rem facientibus circumstantiis necessitatem inevitabilem emergere observaverint, huicque malo sola hajdonum

comitatensium assistentia sufficienter obviari, requisitamque medelam adferri non posse existimaverint, pro tunc a proximiori militiae commendante ad praestandum desideratum brachium sua via jam instructo necessariam militarem assistentiam expetent, hancque ad procurandum effectum attentissima cum circumspectione, adhibitoque omni cum moderamine applicabunt. Et quamvis patentalium contra tumultuantes, seditiososque rusticos annis prioribus in nonnullis comitatibus publicatarum necessitas futura vix speraretur, si tamen praeter omnem spem et exspectationem istiusmodi necessitas eveniret, cum praevia circumstantiali hujus deductione a Consilio locumtenentiali regio tot exemplaria quot necessaria fuerint, expetant, interea patentalium earundem exemplaribus pro directione eorundem commissariorum deservituris.

Instr. comiss. reg. §. 24. — Quoad moderatum militaris assistentiae usum idem statuit b. resolutio regia nro. 7141. 7. octobris 1744. emanata. Cura solers dominiorum terrestralium jam pluribus exemplis sufficienter edoctorum eo dirigi, et impendi debet, quatenus officiales dominales debita provisi instructione iis excessibus abstinere debeant, qui justo et aequo adversi, non favorabiles pro dominio terrestrali apud subditelam ideas excitare possint. Colonos jam sufficienter capacitatos, quod urbarium normam tractamenti praescribat, non facile refractarios fore, ubi et dominos terrestres, et eorundem officiales justi amantes perspexerint, ejusque insuper esse animi, ut

quo demum cunque in merito laesis promptam praestent satisfactionem. Adesse autem modum et lege et resolutionibus regiis praescriptum, quo subditorum temeritas in majorem licentiam, et ausus prona reprimi possit, et castigari; rariora tamen exempla, ut quis in juribus suis, et beneficiis sustentatus, citra graviorem causam in profligatos audaciae casus temerarie prolabatur; cum alioquin idmodi casus, ex parte administrationis publicae omni cum rigore actutum vindicentur.

ART. VII.

De actione contra excedentes, et in urbarium peccantes per fiscum magistratualem erigenda.

Tam domini terrestres, quam et subditi salutari adhortatione commonendi sunt, ut haec quae in urbariali regulatione secundum altissimam resolutionem regiam praescripta sunt, et ad communem salutem, permansionemque plebis, ac praecavendos omnes excessus, et abusus pertinent, exacte observent, subditi quidem singulariter ad obedientiam et exactam paritionem, pacemque et tranquillitatem colendam, et illa omnia, quae in patentalibus continentur, observanda, vicissim vero quae ibi prohibentur, sub comminatione carcerum, laborumque praesidialium, et pro gravitate delicti, horrendae etiam mortis poena vitanda severe commonendi erunt. Domini vero terrestres, et notanter eorum officiales ad b. rescriptum regium sub comminatione actionis fiscalis contra ex-

cedentes, et in praesentis urbarialis regulationis puncta peccantes, erga fundatam subditorum querelam irremissibiliter erigendae reflectantur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 17. et §. 30. ad finem. Item nro. aul. 5397. et 5963. 1784. Quoad dominium Nagy Medves in comitatu Castriferrei.

Dominiis terrestralibus relate ad abusus et excessus urbariales per officialatum dominalem commissos responsioni, et praestandae indemnitati obnoxiis, salvo ad excedentes regressu, cum praecipua dominiorum terrestralium ad mentem legis, et systematis status publici obligatio sit, stabilis subditorum suorum contra oppressiones sui officiolatus protectio, et solers justitiae distributivae administratio.

ART. VIII.

De mensuris aridorum et liquidorum per urbarium defixis.

Quandoquidem ad debitum b. urbarialis regulationis observamen, fineque hoc in scopum praecavendarum universarum defraudandi et vexandi occasionum necessarium omnino sit, ut juxta praescriptum legum, benignarumque idcirco elargitarum resolutionum regiarum universae mensurae tam aridorum, quam liquidorum mensuris posoniensibus conformentur, et juxta has tam ex parte dominorum terrestrium, quam ex parte subditorum ubique, ac pro omni tempore accurate et exacte observentur, ac per consequens reliquae omnes a posoniensi diversae mensurae penitus ac simpliciter abrogentur; hinc comissarii regii sollicitam vigilantiam agent, et omni efficaci mo-

dalitate adlaborabunt; ut illa omnia ad realem et adaequatum perducantur effectum; super quo taliter procurato requisitam Consilio locumtenentiali regio suo tempore facient relationem.

Instr. comissar. reg. §. 32.

Quia vero non obstantibus legis et b. ordinationum regiarum saepius per regnum circulariter publicatarum dispositionibus, in multis locis in metretis adeo diversus esset usus, ut metretas posonienses nequidem intelligerent, hinc exequentes magistratuales in eo sollicite agant, ut indictionem ad metretas posonienses reducant, ac ita realiter reductas rubricae in tabellis urbarialibus inscribant. Jnstr. exeq. mag. cap. II. §. 3. ad p. 13. circa finem.

Ut porro mensurae liquidorum et aridorum universae ad obtinendum legum, benignarumque resolutionum caesareo regiarum, et uniformitatis effectum realiter, effective, ac ubique introducantur, exequentes magistratuales in singulo loco non tantum apud singulum dominum terrestrem, et subditos omnes id ipsum disponent, verum serio ordinabunt, ut si praehabita accurata investigatione seu ipsi domini terrestres, seu subditi, aut horum neuter mensuris posoniensibus provisi essent, talibus semet usque tempus illud, quo magistratuales pro executione urbarialis regulationis exibunt, effective providere teneantur, inhibebuntque partem utramque ab ulteriori diversarum a posoniensi metretarum usu, quas pro abrogatis et cassatis, una pro poenalibus declarabunt, ac una disponent, ut istiusmodi posoniensium men-

surarum ex singula specie unum exemplar apud judicem loci pro omni tempore conservetur, ut dum successive quoad vigorem et validitatem mensurarum seu quaestiones emergerent, seu fraudes evenirent, ac investigationes peragerentur, in istiusmodi casibus pro facienda proba congrua exemplaria illa deserviant, ad praecavendas interim omnes fraudes, et confusiones exemplaria illa exequentes magistratuales instituta praevie accurata proba sigillis suis propriis authenticabunt, et pro executione denuo exituri, num praemissae dispositiones ad praescriptum praevia modalitate effectum realiter perductae extiterint, sedulo perquirent, et investigabunt, in casum vero contrarium ad procurandum infallibilem effectum efficaciter agent, imo si ipsi quaqua ratione parte in hac dispositorum effectum procurare nequirent, eatenus cum genuina rei gestae informatione medio vice comitis comissario regio fidelem relationem faciant. Instr. exeq. mag. cap. III. §. 7.

Mensura posoniensis a 32 pintis ad unam urnam computanda in desumptione nonae vel juris montani adhibeatur. Urbar. p. 5. p, 6.

De inducenda quoad mensuras uniformitate provisio art. 22. 1807 ; ope cujus decretum est, ut pro basi inducendae tam relate ad arida, quam et fluida aequalitatis, mensurae reliquis sublatis urna duntaxat posoniensis 64 mediarum, non secus et metreta posoniensis itidem 64 mediarum sive justarum capax stabiliatur — partes stricte submontanae in moderno usu vasatim consuetae vinorum venditionis relinquantur, ita tamen, ut va-

sorum pro submontanis vinis deservientium capacitas juxta mensuram posoniensem ad $2\frac{3}{4}$ urnas inalterabiliter defigatur; poenis quoque contra defraudatores, et violatores huius articuli statutis. Legalis provisio quoad rite in omnibus servandas mensuras peculiarem constituit administrationis publicae partem. Delata est vigilantia et debiti effectus procuratio jurisdictionibus comitatuum; cuius meriti ratio, prout nunc expressum, non constituit substratum urbariale. Multae quae olim vigebant, mensurae, generatim vix jam nomine notae sunt.

CAPUT II.

De basi, ac systemate ejectationis constitutivi sessionalis urbarialis, atque praestationum, servitutumque urbarialium.

ART. I.

De generalibus principiis systematis huius.

Fundi, quos coloni vigore urbarii possident, veniunt nomine constitutivi sessionalis, in cuius ejectatione, spectatis beneficiis et maleficiis, locorumque classificatione, systema urbarialis aequilibrii, quod inter subditos introduci desideratur, pro principio defixum extiterat; nec vero obtutu tractamenti urbarialis, quod sortem subditelae ad certum pedem defigere intendit, aliud subservire potest,

quam adoptatio normae illius, qua mediante coloni habito cunctorum beneficiorum, quorum participes redduntur, onerumque et servitutum iisdem commensuratarum, quibus dominio jam a primis regni incunabulis obtutu subditelae obstringuntur, calculo, in quantum ipsa justi ratio deposcit, citra excessum et mensuram, relate ad necessitatem subsistentiae aequali proportione tractari possint, et debeant. — Hoc ipsum vero eo majoris est attentionis, quo in elucubratione ejusdem objecti majores, quibus severior attentio tribui debet, enascuntur difficultates, tamque complicata calculi urbarialis ratio, ut adaequatam obtinentis in toto regno ejectati constitutivi ideam, seu potius clavim, cui ejectatio haec non in genere duntaxat sed individualiter etiam innitatur, conspectui et defigendae cum principiis normae in complexu sistere, plurium annorum administrationis publicae curam merito in se complecti, et involvere videatur.

Classificatio, et conscriptio locorum, atque respectus beneficiorum, et maleficiorum, (in his enim desiderata clavis juxta urbarii spiritum defigitur) sunt principia generalia, quae quemadmodum parte ex una in theoria justitiae innixa, generaliter habita ad districtus reflexione, omnino probam sustentant, ita parte ex altera, sumpto mutuae subditorum individualiter inter se, et ad districtus regni correlationis nexu, spectataque possessionum ad unam eandemque classem collocatarum, colonorumque unius ejusdemque sessionis ad se invicem differentia, ad particulare peraeque

probatum systema, quod inconcussum relate ad beneficia et onera subditis optatum procuret aequilibrium, reducenda forent.

Labor hic decumanus, cuius idea, in quantum de realitate illi procuranda agetur, publicos functionarios diutius occupabit, pro nunc eo solum perfectionis devenit, ut arbitraria antea, multisque vicissitudinibus obnoxia, praesertim in usu continuae mutationis constitutivi, subditelae conditio prorsus sublata, atque certa directioni subservitura principia urbarialiter defixa extiterint.

Nullum adhuc in classificatione beneficiorum, et repartitione onerum proportionale alicubi surrexit institutum, nullum mutuae correlationis adinventum systema, quod jam in incunabulis suis numeris omnibus absolutum, iisdem sub circumstantiis et limitibus perennitatem existentiae sibi polliceri possit. Rationem progressus successivam in omnibus cursus politicus testatur. Quod in adoptata ejectationis constitutivi, beneficiorum item et onerum norma, hoc tempore nobis relate ad colonos salutare, et habita cunctorum adjunctorum reflexione velut in principiis stabile, et necessarium, adeoque obtutu administrationis publicae porro manutenendum esse videtur, non amplius nefors successive eodem ex necessitatis visus puncto adoptatae normae ratio, iisdem limitibus circumscripta patescet; pluraque, quae spiritus temporis pro indole genii mutanda, aut obtutu defixae in beneficio et onere proportionis rectificanda poscet, novam faciem induent, novumque defigendo huic

merito suppeditabunt fundamentum, cuius ope in calculo beneficiorum et onerum felix subditelae aequilibrium tam in genere, qnam in individuo procuretur, atque veritas illius axiomatis, singulos quippe pro ratione habiti emolumenti, et beneficii oneribus subjici oportere, cum adoptatione aliorum principiorum de gradu in gradum, quasi in arithmetica progressione, citra violentiam in effectum deducatur; ratioque proprietatis fundorum colonicalium adusque dismembrari solitae, eam classem, quae vel in Banatu stabilita est, tractu temporis cum stabilitate — defixis principiis ingrediatur.

ART. II.

De novem interrogatoriis punctis, atque examine, simulque connotatione ad eadem qualiter, et cur instituenda?

Novem interrogatoria puncta sunt sequentia:

I. An et qualia urbaria actu praeexistant, et a quo tempore haec introducta?

II. Ubi autem nulla de praesenti urbaria existunt, praestationes colonicales a rusticis exiguntur ne juxta initos eatenus contractus, vel vero juxta receptum usum; a quo tempore seu receptus ejusmodi usus, seu vero initi idcirco contractus initium sumpserunt, et recepti sunt? an non item ante modernos contractus, seu urbaria alia praefuerint, et qualia, quandove modernus obligationum usus incaeperit?

III. Ubi nulla urbaria, et contractus reperiuntur, exactae per dominum terrestrem, usuve

receptae praestationes in quo consistunt, quando praeterea, et qua modalitate tales introductae sunt?

IV. Quae et qualia singulus locus beneficia habeat, aut maleficia?

V. Quot et qualibus terris arabilibus, ac pratis colonus integrae sessionis reipsa provisus, quot item singulum iugerum metretarum posoniensium capax sit, numve in pratis etiam cordum falcari possit?

VI. Quales per singulum colonum, et quot numero dierum robottae, ac cum quot jugalibus hactenus praestitae sunt? porro itus et reditus colonorum imputabatur ne in robottam, vel non?

VII. An nona hucadusque a quo tempore, et a quibus speciebus praestita? numve haec nonae praestatio in ceteris comitatus illius dominiis usu recepta sit? quid praeterea rustici titulo aliarum datiarum domino terrestri ad praesens usque annuatim praestiterunt, ac notanter datiae et donaria per dominum terrestrem a subditis seu in parata, seu naturalibus exacta specifice in quo consistant?

VIII. Quot numero sunt in singulo loco desertae sessiones? a quo tempore, qua de causa et a quo hae usuantur?

IX. Num coloni liberae migrationis sint, aut perpetua obligatione obstricti?

Instructione comissariorum regiorum §. 9. injungitur iisdem eo sollicite adlaborandum, ut in singulo comitatu unius loci examen, et connotatio ad novem puncta, prout et conscriptio, veluti

fundamenta ad debite introducenda urbaria perquam necessaria, per omnes exequentes magistratuales eo insimul conventuros, in praesentia eorundem, cumque ipsorum sollicita, ac vigilante manuductione debite peragantur.

Paragrapho autem 12 praecipitur, ut tam fassiones ad novem puncta, quam et ipsa novem interrogatoria puncta, lingua incolis loci usitata concinnentur, atque Consilio regio locumt. submittantur, si vero reperirentur loca talia, quae vandalica, illyrica, et vallachica linguis uterentur, in locis istiusmodi et novem puncta interrogatoria, et fassiones ad eadem puncta istis quidem linguis concinnentur, cum nihilominus linguarum harum notitia in locis superrevisoriis non habeatur, necessarium est, ut respectu locorum horum fassiones ad novem puncta in latinum vertantur, ac ita genuine versa submittantur.

Quia vero maximum fundamentum in praeattactis novem punctorum fassionibus et examinibus, reliquarum ad introductionem urbarialis regulationis pertinentium operationum radicaretur, adeoque fassiones juramentaliter elicitae realitatem justi et aequi pro objecto habere debeant, hinc ante depositionem juramenti formular coram adjurandis perlegatur, sanctitasque illius exponatur. Ibid. §. 13. mendaciis isthic comissis pro maleversationis ratione puniendis.

Juxta instructionem exeq. mag. cap. I. maxima punctualitas, et circumstantialis accuratio in hoc novem punctorum opere observanda tantopere desideratur, cum iste labor sit, in quo reliquae

operationes veluti in radice, et fundamento superaedificantur, inque omnibus altioribus revisionibus quoad omnes urbarialis momenti operationes ad hunc novem punctorum laborem semper omnino recursus fieri debeat.

Hinc ergo exequentes magistratuales illa sollicita attentione, dexteritate et circumspectione incumbant, ut nihil prorsus a se desiderari patiantur.

In fassionibus colonorum, quatenus ad rei, et status veritatem eo certius deveniri valeat, maxime attendendum est ad principia, et causas, quibus ducti, saepe intentionis alicuius obtinendae scopo, in eiusdem subsidium talia quoque proponunt, quae uberior investigatio ad classem falsi deducit. Mutatio quaestionis positae, quae tamen idem intendit, et solidior confrontatio, si unanimitatem fassionum producat, eandemque locales etiam circumstantiae sustentent, caracterem veri praesentare possunt. Quapropter nihil intermittendum est, quod sagacior promptitudo, et justi amor exigit, ut ad eliciendas hac occasione sincera cum veritate fassiones coloni permoveantur, qui ceteroquin sibi imputandum habebunt, si detecta eorum fucata, et mendaci fassione, ex parte jurisdictionis concernentis ea disposita fuerint, quae in eos pro gravitate delicti puniendos et leges, et benignae resolutiones regiae per expressum praescribunt, et serio injungunt; adeoque resultatum suae iniquitatis iidem subditi et poena, et honoris periculo affici debere experiantur.

ART. III.

De beneficiis, et maleficiis locorum.

Beneficia locorum in instructione exeq. magistratualium sub C. et nro. 3. cap. I. provocata sunt.

1. Terrarum arabilium fertilitas, et duobus jumentis excolibilium.

2. Pratorum fertilitas, et foeni praestantia, bis falcabilitas.

3. Vicinitas emporiorum.

4. Pascui praestantia, et abundantia etiam pro pecorum succrescentia.

5. Adaquatio pecorum commoda, et vicina.

6. Lignatio aedilis, et focalis, atque vicina.

7. Vineae bonum vinum proferentes, ex occasione earum pecuniam pro cultura merendi beneficium.

8. Glandinatio praesertim pinguis, et vicina, eminenter vero, si ea ex sylvis subditorum proveniat.

9. Non usus decimae, et nec praestetur, ubi in usu non fuit.

10. Pomaria, lupuleta, cauleta, horti viridariorum in, et extravillani.

11. Arundinetum, praesertim in defectu lignationis.

12. Beneficium vecturae salis, lignorum, et cupri.

13. Vicinia fabricarum utilium.

14. Vicinia navigabilium fluviorum, et ex hinc promanans quaesturandi, operam item manualem et jugalem ad navigationem, aut ratigerationem praestandi occasio.

15. Vicinia promontoriorum majorum et bonae qualitatis.

16. Beneficium exurendae calcis, carbonum, notanter in vicinia civitatum.

17. Beneficia communitatis, utpote nundinae, educilla, terrae, prata, vineae.

18. Aquae pro maceratione canabum utiles.

19. Molae in loco vel in propinguitate sitae.

NB. si vero in hoc vel illo loco comperirentur beneficia realia talia, quae ad praededucta exemplificativa reduci non possent, aut essent plane distinctae speciei, haec quoque in responsis adnotentur.

Maleficia locorum sunt.

1. Sterilitas et paucitas terrarum, item terrae exundationibus, imbrium excavationibus obnoxiae, item magna earum distantia, in elevato situatio, ac ideo fimatio et cultura difficilis.

2. Prata vel nulla, vel gramen caricetosum mucosum etc. proferentia, ac exundationibus vel subterraneis aquis obnoxia, foenum a longinguo comparandum.

3. Emporium nullum, vel longe dissitum, eorsum via difficilis, et multis teloniis obsita.

4. Pascuum nullum vel exiguum, ac alibi parata comparandum, sterile, exundationibus obnoxium, pecora aestate quoque domi pabulanda.

5. Carentia lignationis, et arundineti, notanter ubi straminis defectus adest.

6. Beneficium pecunias merendi nullum, vel

exiguum, et nec in loco, nec in vicinia seu jugali seu manuali.

7. Molae in loco, aut in vicinia nullae, adeoque a longinguo, notanter incommodo itinere petendae.

Et si reperientur in hoc vel illo loco maleficia etiam alia incolas prementia, haec quoque exponantur.

Instr. exeq. mag. cap. I. §. 3. ad 4.

Si subditela a beneficiis, quae eidem ultra dotationem urbarialem concessa sunt, censum quempiam solvat, id ipsum in hac consriptione beneficiorum exprimi debet; si autem ea, a quibus obventiones per subditos dominio terrestrali obtingerent praestandae, ad classem talem, quae huic maleficiorum corresponderet, collocari deberent, tunc pro ratione justi idmodi praestationes cessant.

ART. IV.

De conscriptione, ac classificatione locorum, et constitutivorum, seu disinteressatu classium elaboratione.

Examinibus, et fassionibus ad novem interrogatoria puncta, conscriptionibusque eatenus plene peractis — classium elaboratio adornari debet.

Quandoquidem constitutivi classificatio non solum a qualitate, ac fertilitate terreni, sed a reliquis etiam circumstantiis; commoditate nimirum vendendi, quaestus, ac commercii, similibusque beneficiis, quibus subditus fruitur, metienda sit, istae vero circumstantiae juxta praecriptum

instructionis pro exequentibus elargitae, in fassionibus ad novem puncta expressis debita serie exponerentur, hinc priusquam ad enucleandas et decidendas classes progressus fiat, respectu singuli loci ex fassionibus ad novem puncta elicitis, universorum beneficiorum quibus hic vel ille locus gaudet, et maleficiorum, quibus hic vel ille locus afficitur, efformetur specificus, clarus, ac genuinus extractus, istoque extractu pro objecto classificationis habendo, ac toties quoties necessum videbitur, ad ipsas quoque fassiones recursu summendo juxta ductum conscientiae deputatorum librandae pro ratione hujus vel illius comitatus numerosiorum, et pauciorum locorum, semper tamen reflexe ad subsistentiam contribuentium tot classes efformentur, quot respectu totius comitatus reflexe ad beneficia realia, aut maleficia secundum deum, et ejus justitiam emetiendae existimabuntur, imo pro faciliori tam deputationis classificationalis operatione, quam etiam commodiore altiore superinspectione, et superrevisione ex iis, quae in conscriptione, novem item punctis opportune eruibilia sunt, praescripta formetur tabella.

Postquam universa loca classificata extiterint, pro securiori operationis fundato experimento, adhuc semel sollicito studio loca illa, adhibita conscientiosa unius ad alium confrontatione reexaminent, et si forte ex ipso conscientioso reexamine in eo convincerentur, quod positis jam classibus, plures adhuc classes formandae essent, pro tunc additamentum classium instituant, et tunc aequilibratis novius universis locis, ex his illa, quae ad ultimam additam classem magis, quam ad alias

inclinare videbuntur, ex priori classe ad hanc collocent, in hocque reexamine, si loca illa, quae in 1. classe posita sunt, ad secundam proximius inclinarent, inque secunda collocata ad tertiam proximius accederent, ac in tertia posita magis ad quartam propenderent, ad illam omnino classem, ad quam competenter, seu descendenter a prima usque ultimam, seu ascendenter ab ultima usque primam ponenda sunt, exponantur. Quod ipsum in comitatibus quoque illis, in quibus plures quam quatuor classes adinvenirentur, observandum. Necessarium autem erit, ut operi classificationali una rationes, cur haec et illa loca ad hanc aut illam classem posita sint? paucis, substantia tamen expressa, clare ac fundate subnectantur.

Si tamen in elaboratione hujusmodi classificationis occurreret, ut quis deputatorum cum unius alteriusve loci domino terrestri viciniorem consangvinitatis nexum foveret, aut quampiam erga eum obligationem haberet, vel vero quaestio de propriis ejusdem bonis occurreret, attunc ejusmodi deputatus labori huic pro eodem interessentiae casu interesse non possit. Instr. comissar reg. §. 14.

Classificationale hoc opus ex generali congregatione una cum constitutivo reflexe semper ad id, quo colonus penes hoc, et reliqua huic accessoria beneficia non solum ipse subsistere, verum etiam onera sua tam publica quam dominalia, pro continuo supportare valeat, tam in terris arabilibus, quam etiam in pratis conscientiose emetiendo, pro

impertienda desuper clementissima resolutione caesareo regia repraesentetur. Ibid. §. 15.

ART. V.

De principiis relate ad conscriptionem et conscriptores defixis.

1. Deposito per conscribentes juramento, inter exmittendos conscriptores loca ita dispescantur, ne quoquo modo obtingat ex his alicui locus talis, in quo seu actuale, seu virtuale dominium habet, aut erga loci hujus possessorem, seu aliquam servitii obligationem, seu interessentiam, seu involventem sanguinis nexum habeat. Instr. comiss. R. §. 3.

2. In quantum ipsi domini terrestres ad actus conscriptionis non comparerent, mandatarios suos idcirco praevie debite instruere valeant, instructio pro conscriptoribus et exequentibus deserviens publice coram universitate perlegatur per extensum, desiderantibus in typo ceteroquin mandatis exemplaribus pro acceleratione operationis extradanda. Ibid. §. 4.

3. Ne quo pacto locus aliquis ex classificatione emaneat, universa totius comitatus loca cum nominativa, num hic vel ille locus possessio, aut oppidum sit, specificatione, qualis in hoc vel illo loco lingua a potiori in usu habeatur? ac nominetenus per quem, vel pro casu plurium compossessorum per quos terrestres dominos possideatur, et sub quorum ac qualium dominalium officialium inspectione existat? connotatio adpromptanda, comissarioque exhibenda est, connotationes autem

hae una cum curialium sic dictorum locorum specifico indilate, fineque illo Consilio regio locumt. transmittendae venient, ut sufficientes tabellae urbariales, ac ipsa etiam urbaria in re et tempore imprimenda disponi, impressaque ad praecavendam omnem remoram concernentibus comitatibus tempestive transmitti possint. Ibid. §. 7.

4. In conscriptione autem urbariali juxta modalitatem instructioni exequentium magistr. cap. 2. §. 2. praescriptam sub D. et nro. 4 sunt sequentes rubricae essentiales:

1. Nomina et cognomina colonorum, dein inquilinorum et subinquilinorum.
2. Sessionis qualitas.
3. Capacitas fundi intravillani per posonienses metretas.
4. Sessionales terrae arabiles, met. poson.
5. Sessionalia prata, *a.* semper, *b.* raro, *c.* nunquam bis falcabilia, per falcastra.
6. In praedio nro.
7. titulo sessionalium usuatae terrae arabiles, metr. pos.
8. Prata titulo sessionalium usuata semper, raro — nunquam bis falcabilia.

5. Conscriptioni huic, vel ipsi domini terrestres, vel eorundem officiales intersint, et si hi quampiam subditorum sinistram observarent revelationem, eandem mox declarent, ut taliter tanto citius genuina rei veritas erui queat. Si vero revelationi subditorum domini terrestres, vel eorum officiales non aquiescerent, toties quoties necessarium judicaverint, ad faciem loci exequentes magistratuales exeant, et rem investigent, ac etiam

de capacitate agrorum probam instituant, ut vel hac via cognoscant, an per colonos revelata veritati sint consentanea, nec ne? Instr. exeq. mag. cap. 2. §. 7. et 8.

Conscriptio hujus generis, quae fundamentum etiam ceteris operationibus urbarialibus suppeditat, omni cum exactitudine, zelo, et sinceritato, ponderatis praevie jam, quae occurrunt, circumstantiis, summa cum circumspectione suscipi, et pari modo peragi debet; suppeditat enim instrumentum, quod saepe decidendae causae urbariali, basi subservit; et tractamento colonorum intuitu praestationum, et robottarum normam praescribit. Errores conscriptionis talis, nisi tempestive detegantur, et rectificentur, perimunt justitiam, et aequitatem, turbant in statu contributionali optatum aequilibrium, quo pacto fieri debet, ut coloni saepe fatiscant sub oneribus, quae eorum reali constitutivo non sunt juxta praescriptum urbarii commensurata, alii autem plura beneficia et emolumenta obtineant, quam eisdem a ratione qualitatis et quantitatis fundorum sessionalium competerent; ac proinde ordo ille, qui per urbarialem regulationem induci intendebatur, per idmodi defectus, et errores exulare debeat. Haec, quae adducta sunt, eo tantum serviunt, quod spiritus quaestionatae conscriptionis exactam, atque sinceram procedendi rationem ideo exigat, ut distributivae justitiae pleno cum calculo satis fieri possit; neve contribuentibus, de quorum sorte agitur, justa querulandi occasio enasci debeat.

ART. V.

De dimensione geometrica constitutivorum sessionalium.

1. Instructione urbariali pro comissariis regiis §. 34. praecipitur disponendum, ne ullus dominorum terrestrium per alium, ac qui idcirco in facie comitatus adjuratus fuerit, geometram dimensiones terrarum sessionalium fieri curet, sed et talis geometrae dimensio non prius locum obtineat, quam ubi super ea terminata universitati comitatus relatio facta, eademque successive per exmittendos magistratuales authenticata fuerit. Geometrae vero occasione dimensionis qualitatem glebae ex executionalibus secum communicandis rite observantes, jugera a 1100. 1200 vel denique 1300 quadratis orgiis mensurent, ac reflexe ad praeattactam glebae qualitatem, super terminato opere scriptam relationem adpromptent. Siquidem vero qualitatem glebae conformiter b. intentionibus regiis decidere neutiquam ex subjectis geometricarum operationum esset, hinc ut memorati geometrae tanto certius id praestare possint, conscriptores occasione conscriptionis quoad singulum colonum qualitatem glebae succincte adnotent, sed et in fassionibus ad 9 punctorum examina, notanter puncto 5. exprimatur, in quanta circiter parte loci territorium fertilius, vel sterilius sit? quo fiet, ut exequente magistratuale in relatione sua executionali, habita ad qualitatem glebae reflexione, numerum orgiarum in jugeris sessionalibus observandarum positive a 1100. vel 1200 vel denique 1300. quadratis orgiis exprimere queunte,

geometra fundamento praeallatae executionalis relationis, dimensurationem instituere sciat, eodem modo autem etiam circa prata per exequentes investigetur, an cordum semper, vel nonnunquam aut nunquam falcetur?

Instruct. exequent. mag. cap. V. §. 31. Siquidem b. ordinatum jam esset, ut in ipsa etiam conscriptione qualitas glebae, et numerus metiendarum quadratarum orgiarum positive exprimatur, hinc si etiam terrae occasione regulationis mensuratae non fuerint, executionali relationi tamen positive inseratur, habita glebae qualitatis ratione, a quot orgiis in casum mensurandarum terrarum sessionalium dimensio fieri debeat.

Ipsa dimensio autem relate ad defigendam cum certitudine apodictica tenutorum dimensurandorum capacitatem, et extensionem, semper fieri debet juxta probatas artis geometricae regulas; ne defectus evenire contingat.

2. Dimensio geometrica terreni, et constitutivorum urbarialium dominis terrestribus generatim per b. urbarium est in salvo relicta, neque iisdem jus hoc controverti valet: integrum manet dominiis, praestationes contractuales aut urbariales numero sessionum per geometricam dimensionem eruendarum approportionare, ita tamen ut eodem neo efformando instrumento inserantur, utve solis manualibus et currulibus operis, in quantum adjuncta admittunt, coloni concurrere sint obligati; reliquis expensis dominium mansuris.

3. Cum geometrica dimensio, quae regulationem territorii in sensu altissimarum ordinationum

effectuandam necessario praecedere debet, nullius seu juri, seu praetensioni praejudicare, aut derogare possit, ceteroquin etiam dominalis jurisdictionis exercitium juxta principia urbarialia nullam in obversum recipiat difficultatem, ea quae geometrica demensione peracta circa subdivisionem et regulationem qualiter instituendam meritorie et servatis de praescripto servandis pertractanda occurrunt, seorsive auditis quorum interest, et cum interventu fiscalis assistentiae in sede dominali assummi, et superari oporteat, atque adeo ad hanc pertractationis viam, etiam illae quaestiones, quae quoad investitiones, inonerationes etc- subversari possunt, relegari debeant, manifestum est, quod non attentis his dominio dimensio omni modo in salvo reliquenda, sed et illa, quae nefors ultro hanc in rem ponerentur impedimenta, efficaciter removenda sint, atque omne hoc negotium ad sedem dominalem cum interventu fiscalis assistentiae inviandum, operatum regulationis hic determinandum, per sedriam subin revideatur, et altioribus locis substernatur.

4. Quemadmodum parte ab una correctiones urbariales, atque hunc in finem dimensiones sessionum colonicalium, earundemque pro comperto rectificationes instituendi facultas dominiis terrestralibus in salvo relinquitur, ita parte ab alia ne sors subditorum hoc in passu arbitrio dominorum terrestrium comittatur, aut illi ex tali regulatione quoquomodo detrimentum capiant, provide sequentia sunt observanda.

Ut cum terrarum dimensio, et inter colonos

distributio, et ex his profluens dotatio, ab eventu authenticationis primum quidem per testimonium legale cum interventu fisci magistratualis in facie loci instituendae; tum vero comitatui, et altioribus locis referendae dependeat, si observetur, quod dominia aliqua penes authenticationem solum comitatui relatam, semet ad usum novae dimensionis posuerint, et terras a dotatione (cujus fundamentum debitam revisionem non subiit) remansas in suos usus converterint, talis abusus simpliciter interdicatur, neque opus dimensionis, antequam revisionem Consilii regii locumtenentialis transeat, pro rato haberi, et cum his connexae urbariales praestationes desummi valeant. In ipsa vero actorum dimensionalium submissione eam observari debere normam, ut penes novam dimensionem antiquus antedimensionalis status, relate ad singulam possessionem regulationi subjectam clare et distincte exhibeatur, ut nempe ex horum combinatione erui possit, an et quid subditis per novam dimensionem accesserit, vel decesserit? combinatorium proinde instrumentum inomisse adnectendum.

5. Postquam dimensio tenutorum, et dotatio sessionum colonicalium consummata est, taliterque urbarialis regulatio intercessit, atque assignata praevia ratione in constitutivum sessionale tenuta, prata, extirpaturae etc. in complementum urbarialis regulationis cessisse censenda sunt, negotio hac modalitate ad pedem stabilem deducto, dominiis terrestralibus amplius liberum esse non potest, instituta expost denuo nova tenutorum di-

mensione geometricam fundorum supernatantiam in proprios usus convertere, taliterque decretorii anni, dum nempe urbarialis regulatio jam sancita est, statum fundorum colonicalium et contributionalium convellere. Assumpto in obversum motivo, quod nefors subditi nova isthac dimensione, et dotatione coram magistratualibus individuis semet contentos esse declarent, alioquin nihil opitulari queunte, ideo quidem, quod haec principiis urbarialibus et contributionalibus, quae ubi de dotatione sessionum colonicalium agitur, haec nudis subditorum declarationibus absolui neutiquam admittunt, sed modo et via per urbarium pro exequentibus magistratualibus praescripta pertractari jubent, adversantur.

Porro dimensionem et regulationem urbarialem non quoad numerum arithmeticum sessionum colonicalium, sed quoad quantitatem et qualitatem glebae, et tenutorum occasione primaevae regulationis sessionibus admensorum atque fundum etiam contributionalem praevie jam ingressorum pro basi summendam esse.

6. Necessitas dimensionis ex contributionali status visus puncto patescit affatim etiam ex ipsa ratione conservandi fundi contributionalis, ac summae titulo hoc individualiter pendi solitae, in quantum fieri potest, juxta clavim justam, ducto onerum, et beneficiorum calculo pro colonis defigendae, cui dominia terrestralia pro jure suo, et ratione justi quoque accedunt, et saepissime in augmentum fundi contributionalis ex terris occasione introductionis urbarii per colonos retici-

tis, et ex geometrica dimensione in apricum prodeuntibus novas creant sessiones colonicales.

Exempla rem uberius confirmabunt:

1. Possessio Madarász in comitatu Szathmár occasione introducti 1774. h. urbarii indictavit $9\frac{1}{8}$ integras sessiones colonicales, ex officiosa autem pertractatione ad nrum. locumt. 527. 1812. patet, instituta nova tenutorum colonicalium geometrica dimensione, ultra tenuta curialia evenisse $157\frac{4}{8}$ sessiones colonicales.

2. Oppidum Erdöd aeque in comitatu Szathmár anno eodem 1774. indictavit $53\frac{1}{8}$ sessiones integras colonicales, per dimensionem repertae sunt $132\frac{6}{8}$ nro. locumt. 528. 1812.

3. Possessio Dudar in comitatu Veszprém numeravit 42. sessiones, per geometricam dimensionem ad 58. elevatas. Nro. $\frac{3578}{6616}$ aul. 1803.

4. In possessione Fekete-tó comitatu Bihar per institutam dimensionem accessere $29\frac{4}{8}$ sessiones. Nro. $\frac{2053 \text{ aul-}}{10216 \text{ locumt.}}$ 1808.

5. Possessionis Knyazsa ad dominium Arva spectantis universum constitutivum urbariale juxta tabellam urbarialem fecit $784\frac{1}{2}$ jugera, sub introductione urbarii — per dimensionem geometricam agri constituebant 840 jugera, praeter 630 jugera, quae in sylvis et pascuis usuant, adeoque insimul 1470. jugera.

6. In dominio Nagybajom occasione executionis urbarialis 17. sessiones numerabantur, instituta autem sessionum colonicalium dimensione ad 66. sessiones elevatae. Nro. locumt. 17566. 1811.

7. Occasione introducti urbarii in oppido Saard comitatu Sümegh 1767. assumptae erant $28\frac{1}{4}$ sessiones integrae in calculum, per novam regulationem sunt 34. sessiones integrae constitutae ex nro. locumt. 155. 1814.

8. In possessione Köbölkúti-Bögötte comitatu Castriferrei ex praehabitis 7. sessionibus, quarum capacitas occasione introducti urbarii in 192 jugeribus indictata est, occasione dimensionis urbarialis sunt 14. sessiones efformatae, et 378. jugera adinventa, locumt. nro. 4307. 1814.

9. In processu urbariali oppidi Török Kopány in comitatu Sümegh b. resolutio regia nro. aul. 3548. 1816. „Vigore regulativi instrumenti de anno 1774. ad territorium oppidanorum, in quo eotum praefuerunt, extenso; nec extirpaturae, seu ante epocham illam, seu expost efformatae, nec terrae remanentiales ex noviori regulatione proditurae, liberae dominii terrestralis dispositioni addici possunt, et ideo his ultro penes oppidanos relictis, geometrica dimensio, et regulatio sessionum ea ratione suscipienda est, ut in quantum extirpaturae ad sessiones adjicerentur, mercede laboris abinde competente, praevie exsoluta, ab accrescentia sessionum nullae ampliores praestationes, quam quae in regulativo defixae sunt, pro parte dominii exigi valeant.“

10. In processu urbariali possessionis Sövényház in comitatu Jaurin. nro. aul. 8494. 1816. Cum ad superandas ex merito urbariales colonorum possessionis Sövényház querelas, decidendamque in specie quaestionem damni per amissionem

tenutorum a dimensione geometrica anni 1810. huicque superinductum contractum anni 1811. enatam, instrumenta dimensionis huius cum combinatorio antiqui colonicalium fundorum possessorii status, habita quoque dimensionis geometricae actorum anni 1769. reflexione, una cum conscriptionibus urbarialibus, omnino necessaria sint, hinc comitatus est eo inviatus, „ut penes suppletionem supplendorum, obtutu regulatoriae tenutorum procedurae naturam et indolem fundorum processui, et conventioni anni 1811. substratorum fide digne eruendam disponat, quantitatem terrarum remanentialium ab iis, quae in contractu seu conventioni anni 1811. sub D. nro. 8. titulo cambii occurrunt, aut quae secus in processu nomine censualium veniunt, penes conficiendas tabellas debite conspectui sisti procuret, generatim vero conscriptiones urbariales et dicales, quae praeattactos fundos respiciunt, una cum antiquioribus actis, quae basim decidendo processui suppeditant, substernat, instructumque taliter processum altioribus locis submittat.“

Ex praemissis articulo hoc punctis videre est, dimensionem geometricam urbarialis instituti, et regulationis essentialem partem constituere, ac ideo judicum, et publicorum functionariorum, altissimaque attentione in decidendis causis urbarialibus omnine dignam esse.

Basim et fundamentum geometricae dimensioni suppeditat conscriptio urbarialis et relatio executionalis, quae per geometram comitatensem, non obstante eo, quod ex parte dominio-

rum terrestralium per proprios dominales geometras jam suscepta et exhibita sit, antequam et prius ad ipsam intentatam fundorum urbarialium, et ceterorum tenutorum regulationem jam executioni mancipandam procedatur, juxta praemissas ideas suscipi suo modo, et peragi ac denique authenticari debet. — Quae autem instrumenta ad regulationem tenutorum procedentibus dominiis necessaria sint, et inomisse in processu urbariali exhiberi debeant, suis locis attingitur; eo in reliquo isthic addito, scopum dimensionis geometricae dominiis terrestralibus in salvo relictae, semper stabilitatem fundorum contributioni semel obnoxiorum, eidem nullatenus subtrahendorum respicere, ac ideo etiam dimensionem et respective regulationem institui, ut quod colonus ultra competentiam in tenutis possidet, ac proinde juxta dicalem conscriptionem a supernatantia nihil contribuisse comperitur, eatenus fundo contributionali publico, et obventionibus dominalibus debite prospiciatur, certumque una fiat, realis status possessorii tenutorum colonicalium, authenticum instrumentum.

Anno 1774. die 24. martii nro. 1392. erga quaestionem illam, an geometrae pro omni distincto dimensurationis casu adjurandi sint, vel vero semel per ipsos depositum juramentum pro omnibus operationum casibus deserviat? universis comitatibus intimatum est, ut comitatuum geometrae, ad sensum dispositionum regiarum, immediate coram comitatu, in quo munere suo fungi debent, juramentum deponere, indeque testi-

moniales suas habere, et illas pro omni tempore producere teneantur.

Anno 1780. die 28. januarii nro. 6329. observato eo, quod geometrae non per se, verum per suos practicantes peractas dimensiones subscripserint, quin aliunde erui posset, quod talismodi dimensionum realitatem prius cognovissent, ideo ad praecavendas confusiones, iidem pro futuro eo inviandi ordinantur, ut omnes geometricas dimensiones, per practicantes suos institutas, ipsi, velut pro eiusmodi operationibus adjurati, in facie locorum rite combinent, corrigenda cum respectivis magistratualibus (juxta conscientiam) corrigant, ac in quantum subditi damnificati fuissent, calculo arithmetico eruant, et eatenus hi indemnes reddantur.

Anno 1784. die 27. februarii nro. 1846. resolutum est, quod terrarum dimensiones, etiam privati dominales geometrae, solito juramento obstricti instituere possint, dummodo operationes ipsorum (instituta praevie per comitatus geometram accuratissima proba, rectificatisque rectificandis) modalitate praescripta autenticentur. Usum tamen comitatensium geometrarum adhibitionis jam vel ad evitandam interessentiae compromissionem generatim invaluisse, observatur.

CAPUT III.

De urbarialibus annuis investigationibus.

ART. I.

De merito et objectis benignae instructionis normam praescribentis annuam urbariorum qualiter observatorum invessigationem peragendi.

1. Mense decembri urbariales investigationes per articulare testimonium instituantur, an quippe in possessione visitanda urbarium, tabella urbarialis, testimoniales super executione urbariali, nec non puncta generalia prohibitorum, et conscriptio juris montani sub authentico expedita apud communitatem loci praeexistant? et an contra haec ex parte dominii excessus factus? relatio et praestanda complanatio.

2. Si quae ex praedictis instrumentis deperdita forent, possessiones iisdem denuo provideantur, ratione amissionis investigata.

3. Super factis investigationibus communitati praevie insinuandis relationes praestandae.

4. His series etiam comitatus locorum adnectenda. — Causa investigationis est colonorum conservatio. — Supererogatio robottarum culpa dominii eveniens colono in parato aere bonificanda.

5. In praesentia officialium dominalium eorsum comparere obligatorum.

6. Quoad urbariorum supplementa ita procedendum, prout cum urbariis.

7. Quoad numerum pecorum et pecudum pro

officialibus, et servitoribus dominalibus, religionum ministris, et ludimagistris defigendum:

8. Desertorum et impopulatorum fundorum ratio.

9. Querelae quoad praestationem lignorum investigandae — praescriptus sylvarum ordo observandus.

ART. II.

De resolutionibus regiis relate ad investigationes urbariales emanatis.

Anno 1772. 22. maii nro. 2260. universis comitatibus intimata est benigna resolutio regia de qualiter peragendis annuis investigationibus: utpote 1. Ut investigationes, confrontationes, et oculatae in facie singuli loci, non vero convocando ad unum locum plurium locorum incolas peragant.

2. Compertorum excessuum eflectiva complanatio in instanti procuretur, si vero id fieri non possit, ex ipsa sedria adurgeatur, et super effectu Consilium regium locumtenentiale informetur.

Investigationes duo peragant. Judex nobilium, nempe et jurassor, relationesque uterque subscribant.

4. Investigantes occasione primae investigationis conformiter ad instructionem exequentium magistratualium cap. V. §. 22. eruant numerum et determinent, quot pro futuro pecora et pecudes singulus superior et inferior officialis dominalis, ac servitor, parochus item ac ludimagister servare possit? id vero an non excedant nume-

rum, subseque semper investigabunt, et relatoriis inserent.

5. Quoad loca sigillis carentia, talismodi carentiam recognoscant.

6. An examine novem punctorum, conscriptione, urbario, tabella urbariali, executionalibus, supplementis, generalibus prohibitis, conscriptione vinearum, et extirpaturarum provisae sint communitates, inspicient.

7. Querelae colonorum punctatim in investigationibus fracto margine ad dextram, replica vero dominii ad sinistram collocentur, spatio vacuo ad singulum punctum pro deciso sedriae relicto, ad quod decisum sedriae inscribendum.

8. Relationes investigantium ad seriem numerorum reducantur, provocationesque ad hos fiant.

9. Series locorum totius comitatus adnectatur.

Anno 1774. 9. juni interventa nro. 2622. resolutio regia circulariter publicata, quae pariter occasione annuarum urbarialium investigationum in effectum summi debent, ut pote.

1. An tauri magni, et apti dentur?

2. An hieme alimentationem congruam habent?

3. An hoc fine pro iis penes habitaculum pastorum idoneus locus adaptatus sit.

4. An judex et jurati de alimentatione horum provideant?

5. An pro casu senescentium sucrescentes dentur, audito etiam pastore.

6. Ut numerus, et aetas taurorum connotetur, investigantes autem eos aspiciant.

7. Si defectum observant investigantes, corrigant, et sufficientiam taurorum a numero vaccarum, et juvencarum in quartum annum vergentium metiantur.

8. Tauri et juvencae ante 4 annum ad coitum non admittantur.

Trifolii seminatio adurgeatur. De his autem occasione annuae urbarialis investigationis separata relatio exhibeatur, et submittatur.

Anno 1782. 3. juni circulariter publicatum est, ut occasione annuarum urbarialium investigationum indagetur, an merces praejuncturarum militiae praestitaruum incolis in contributionem imputata, aut per eos quibus soluta est, in hunc finem conversa haud fuerit.

Annuas investigationes, et urbariales computus magistratuales ex officio, adeoque citra ullam solutionem, aut praetensionem; vel exactiones instituere obligantur.

Pro eo ut cuncta magis dignosci possint, ea quae magistratuales pro investigatione exmissi referunt, toties quoties actis et documentis, non autem assertis fulciantur. Fassiones non generice, sed specifice colonorum deducantur, sicque submittantur; ne magistratuales in unius, aut alterius fassione conquiescant, verum realitatem querimoniarum exacte in forma probante investigent, ac ita comperta fideliter referant.

Anno 1786. 12. januar nro. 1829. universis comitatibus intimatum est, ut deinceps in quibusvis, praecipue autem querimonias, et oppressiones colonorum concernentibus negotiis praescri-

ptae investigationes omnimode accelerentur, et super progressu, ac statu ejusmodi negotii, in quo nempe subsistat, aut cur, aut ubi adhaereat? de mense in mensem, nisi brevior forte in specificis casibus terminus altissimo loco praefigatur, genuina informatio submittatur, illi vero qui protelationis causa fuerint, ad dandam facti rationem illico adigantur, et pro comperto in eos cum suspensione a salariis, et pro re nata severioribus etiam poenis animadvertatur.

Idem fine debitae invigilationis supremis fungentibus comitibus intimatum est. v. nrum. aul. 4442. 1791.

NB. Jurati Tabulae regiae ad inquisitiones in objectis urbarialibus, et politicis peragendas applicari non possunt. Ex intimato Consilii locumtenentialis die 12. juni 1795. ad comitatum Sümegh emanato.

Notandum. De dato et terminis, quando nam super singillative submissis jam praevie praeparatis per universas jurisdictiones actis urbarialis regulationis altissimo loco exhibitis, benignae resolutiones regiae finaliter, decisivae emanaverint, iisdemque tali pacto b. urbarium in comitatibus altissimo nomine regio introductum extiterit.

Annis.

1760. 2. januarii Nitriensi.

1765. 31. oct. Szaladiensi.

1766. 21. julii Castriferrei. — 4. dec. Baranya. 8. dec. Tolnensi.

1767. 19. januarii Sopron. — 20. maii Albensi. 8. dec. Posoniensi.

1768. 16. martii Comarom. — 2. aprilis Jaurinens. — 2. maii Scepusiensi. — 4. maii Strigon. — 4. maii Weszprém. — 28. oct. Pestiensi.

1770. 28. maii Honth. — 11. augusti Neograd. — 14. sept. Arvensi. — 29. sept. Lypto. — 6. oct. Hevess. — 12. oct. Borsod. — 16. nov. Zoliensi.

1771. 20. febr. Csanad. — 6. maii Csongrad. — 8. maii Békess. — 26. augusti Trenchin. — 7. oct. Tornensi. — 9. oct. Bács. — 14. oct. Moson. — 24. dec. Bihar. — 30. dec. Thurocz.

1772. 19. augusti Sáros. — 18. sept. Gömör. — 20. sept. Abauivar. — 30. sept. Marmaross.

1773. 1. maii Unghvar. — 28. aprilis Szabolcs. — detto Sümegh. — 6. sept. Szathmár.

1774. 25. aprilis Ugocs. — 2. augusti Beregh.

1778. 24. maii Zemplén.

1779. 13. januarii Barsiensi.

CAPUT IV.

De urbarialibus instructionibus.

ART. I.

De meritorio extractu b. instructionis regiae pro comissariis regiis in re urbariali ad comitatus exmissis deservientis; et in 48 paragraphis concentratae.

1. Congregatio generalis intra quindenam celebretur. 2. Examen ad novem interrogatoria puncta, et conscriptio fundorum. 3. In classificatione locorum disinteressati seligantur. — Conscriptio locorum qualiter instituenda. 4. Quoad instructionem pro conscriptoribus, et exequentibus dandam. 5. Quoad puncta prohibita generalia, et eatenus instructionem. 6. Instructio exequentibus punctatim perlegatur. 7. Norma conscribendi loca. 8. Consignatio magistratualium comissariis exhibenda. 9. Examen et connotatio ad novem puncta. 10. In curialibus etiam locis coloni, et inquilini juxta §. 9. examinandi. 11. Relationes hebdomadales exequentium de progressu laboris. 12. Fassiones in diversis linguis elicitae Consilio locumtenentiali in latinum versae mittantur. 13. De juramento examinandorum, ejus sanctitas iisdem exponenda. 14. Classium elaboratio disinteressata. 15. Medio Consilii regii locumtenentialis pro altissima resolutione repraesentetur; quae 16. emanatura in generali congregatione publicetur. 17. Archiepiscopalia bona etiam classificanda. 18. Urbaria locorum in 4 exemplaribus exhibeantur.

19. Unum Consilio regio locumtenentiali submittendum. 20. Investigandum, an exequentes rite processerint? 21. Procurandi sufficientes conscriptores etiam e vicinis comitatibus. 22. Confectio tabellae urbarialis. 23. Fiscales ad promovendas urbariales querelas necessarii. 24. Militaris assistentia contra tumultuantes, et seditiosos adhibenda. 25. Querimoniae urbariales qualiter pertractandae. Procedura sedis dominalis et sedriae praescribitur. 26. De contractibus perpetuis, et temporaneis. 27. Arendatitii contractus. 28. Celerior querelarum revisio. 29. Relationes in urbarialibus regio locumtenentiali Consilio submittendae. 30. Comissarios regios pluribus distentos vice-comites suppleant. 31. Dies laborum per comitatenses exponendi propter remunerationis applacidationem. 32. Circa accuratas mensuras aridorum et liquidorum. 33. Effectus commendatur intsructionis exequentium magistratualium cap. IV. intuitu punctorum prohibitorum. 34. Dimensio geometrica tenutorum. 35. Quoad fundos inhypothecatos. 36. Quaestus colonorum cum productis et manufactis liber. 37. Remanentiales quoad terras. 38. Comissarii regii laborem urbarialem examinent et revideant. 39. Classificationis opus et observationes comissariorum. 40. Protestationes propter ingratos eventus altioribus locis repraesentandae, prouti et 41. Dubia instructionibus haud comprehensa. 42. Nunquam quid novi pro arbitrio per comissarios decidendum. 43. Bona in comitatibus neoaquisticis cum impopulationis obligamine collata, — conscribenda. 44. Remanentiales quoad

fundos. 45. Trifolii inseminatio commendanda. 46. Numerus pecorum et pecudum relate ad pascuum determinetur. 47. Privati pastores tollendi. 48. Quoad extirpaturas.

Hujus in 48 paragraphis contentae instructionis comissariorum regiorum, usus, et provocatio fit in toto isthoc opere, praesertim relate ad ea principia, jam occasione introducti in regno urbarii adoptata, quae nunc quoque suam stabilitatem, et in decidendis causis urbarialibus applicationem habent; adeo quidem, ut in omnibus fere casibus ad eadem recurrendi necessitas adsit. Contextus attactae instructionis, in concernentibus rubricis, ex merito uberius patescit.

ART. II.

De b. Instructione pro magistratualibus urbarialem regulationem exequentibus deserviente, 5. capitibus contenta.

CAPUT. I. De peragendo examine ad novem puncta interrogatoria.

§. 1. Exequentes instructione hac sibi nota reddita, in facie bonorum regulandorum judices, et juratos praevie juramento adstrictos, aliis quoque convocatis, ad novem puncta examinent, mendacibus colonorum fassionibus per comissarium regium puniendis. — §. 2. — 1. fassiones excipiantur lingua vernacula. 2. clare et ordinate, 3. per judices et juratos subscribendae, aut cruce signandae. 4. per exequentes sigillo et subscriptione propriis roborandae. 5. praevie tamen adhuc colonis perlegendae. 6. gravitas juramenti ante ejus de-

positionem iisdem explicetur, nec non poena mendacii positivi. 7. cujus casus comissario regio circumstantialiter referendus est. — §. 3. ad 1. Praeexistentia urbaria excipiantur cum expressione robottarum et praestationum. Ad 2. vel contractus etiam, aut conventiones si adessent. Ad 3. ut jacet. Ad 4. quoad beneficia et maleficia locorum. Ad 5. quoad bis falcabilitatem pratorum, quoad fertilitatem et stabilitatem terrarum arabilium et defigendam jugerorum mensuram. Ad 6. de aratura quatuor jugalibus — ceteris laboribus bijugo praestandis. Ad 7. quoad praestationes omnis generis in locum nonae depensas, accurate exprimendas, nec non, an decima titulo cleri in usu fuerit? Ad 8. circumstantialiter examinandum. Ad 9. ut jacet (intelliguntur novem puncta interrogatoria cap. II. art. 2.) — §. 4. Occasione hujus examinis praesens sit ipse dominus terrestris, vel ejus officialis, libertasque adsit colonis in suis fassionibus. — §. 5. Si plures in uno loco actuales domini terrestres sint, quoad singulum eorundem, — exprimatur diversitas tractamenti urbarialis. — In operato hoc, spectato ejus momento, omnis punctualitas adhibenda.

CAPUT II. De conscriptione.

§. 1. Post examen hoc fit conscriptio loci. — §. 2. Oppidi vel possessionis juxta D. et nro. 4. — §. 3. In conscriptione occurrunt 1. coloni perpetui. 2. liberae migrationis. 3. Inquilini domos habentes perpetui. 4. Subinquilini sine domibus. In quaestione relate ad perpetuitatis, et liberae

migrationis conditionem assumebantur 32 anni praescriptionales. 5. Quoad plures inquilinos in una inquilinaria domo habitantes. 6. Quoad subditum senio confectum oeconomiam filio resignantem. 7. Si plures adsint domini terrestres in uno eodemque loco. 8. Quoad sessiones pro pecunia, vel alio sub titulo colonis inscriptas. 9. Ubi constitutivum per sortes annuatim variat, ultimus distributionis annus conscribatur. 10. De praedialibus fundis titulo sessionalium usuatis conscribendis. 11. Actualis sessionis qualitas exprimatur in 1. conscriptionis rubrica. 12. in 2. capacitas fundi intravillani. — De colonis plures fundos intravillanos cum vel sine appertinentiis postfundualibus, possidentibus. 13. In 3. rubrica capacitas terrarum arabilium per jugera. Praedialibus fundis pariter conscribendis. (de educillatione in praediis) Usus metretarum posoniensium — fundi per rusticos inhypothecati conscribendi; terrae sessionales, item in, et subinquilinis assignatae. Pomaria et pruneta numerantur ad capacitatem constitutivi. Terrae cultivari nequeuntes constitutivum non ingrediuntur; prata semper, raro, vet nunquam bis falcabilia. — §. 4. Fundi deserti, prout impopulati, conscribantur. — §. 5. Extirpaturae cum terragio distinctim conscribendae. — §. 6. conscriptio cujusvis loci separatim instituenda. — §. 7. Cui dominus terrestris etiam, vel ejus officialis intersit. — §. 8. Pro colonorum fassionis veritate eruenda etiam in facie loci investigandum. — §. 9. Mensura unius jugeri; qualitas glebae quoad sin-

gulum colonum in specie investiganda. — §. 10. Vineae non pertinent ad constitutivum.

CAPUT III. De observandis circa nonam et jus montanum.

§. 1. De determinando aequivalente nonae. — §. 2. Ubi nona in natura in usu est, penes eandem manendum; ubi non — ibi libera optio rusticorum locum habet, atque aequivalens designatur. — §. 3. Conscriptio juris montani sub F. et nro. 6. — §. 4. Juris montani desumptio in mensura posoniensi; neque adaugeatur. — §. 5. Praestationes titulo hoc ante art. 97. 1715. locum habentes porro etiam in usu relinquendae. — §. 6. Dependsio nonae in locum juris montani. — §. 7. Mensurae aridorum et liquidorum posoniensibus conformentur.

CAPUT IV. De punctorum generalium prohibitorum procuranda observatione.

§. 1. Circularis punctorum horum publicatio fine exactae observationis, investigatioque eatenus ordinatur; ac excessuum complanatio. — §. 2. Puncta haec singulo loco sub authentico consignanda. — §. 3. Post hoc ad urbarii introductionem procedendum, interea pax observanda.

CAPUT V. De executione urbarialis regulationis, introducendisque urbariis.

§. 1. Cuncta acta haec altioribus locis submittenda. — §. 2. Post emanatam desuper resolutio-

nem ad faciem loci exeundum. — §. 3. Ad tenores capitis III. procedendum. — §. 4. Urbarium aliud in natura, aliud in aequivalente in linguis vernaculis. — §. 5. Ubi nonae in natura usus non est, optio rusticorum locum habet, cum determinatione aequivalentis. — §. 6. Species aequivalentis urbariali tabellae inserenda. — §. 7. Nona in natura praestita, aut electa, taliter praestanda. — §. 8. Variantibus declarationibus potioritatis optio stat. — §. 9. Etiamsi plures sint in uno loco domini terrestres. — §. 10 Variantibus declarationibus dominorum terrestrium in uno eodemque loco quoad aequivalens, potioritatis optioni, aut comitatus decisioni insistendum. — §. 11. Quid si subditi alii nonam in natura, alii nullam solvunt? — §. 12. regulatio septimae, octavae, et decimae in usu vigentis. — §. 13. Nona in natura ex canabe et lino, vel filatura. — §. 14. Norma depensionis telonii. — §. 15. De inscriptione in vacuis urbariorum locis. — §. 16. Continuatio § 15. — §. 17. Continuatio executionis urbarialis, observandaque pax et tranquillitas praecipitur sub incursione poenae. — §. 18. Excisio constitutivi, hujusque in integras, medias, quartas, et octavales sessiones redintegratio, terrae remanentiales penes colonos relinquendae. — §. 19. Quoad terras remanentiales eadem dispositio. — §. 20. Capacitas fundorum juxta numerum redintegrationis exponenda, fundi tamen sint usuabiles. — §. 21. Continuatio §. 20. — §. 22. Tabellae urbarialis confectio ex 16 sequentibus rubricis constantis.

1. *Nomina et cognomina subditorum.* —

2. *Qualitas sessionis.* — 3. *Capacitas fundi intravillani.* — 4. *Capacitas terrarum arabilium.* — 5. *Capacitas pratorum per falçastra.* — 6. *Competentia robottarum jugalium.* — 7. *Competentia laborum manualium.* — 8. *Praestationes nonales.* — 9. *Census annualis.* — 10. *Competentia lignorum orgialium.* — 11. *Filatura.* — 12. *Butirum — sub hoc puncto agitur meritorie de pascuo, — pecorum, pecudumque numero determinando.* — 13. 14. 15. *Altilia et ova.* — 16. *Capacitas, qua competentia fundi intravillani, et pratorum adjustata habetur.*

§. 23. Terminata quoad colonos in tabellis urbarialibus insertione ad inquilinos procedendum conformiter. — §. 24. In tabellis summarium cuique rubricae addatur, penes summarium quoad vineas et extirpaturas efformandum. — §. 25. Clavis pro universis robottis, datiis, et praestationibus constitutivo approportionandis elaboranda. — §. 26. Tabella per exequentes subscribenda, et sigillo roboranda. — §. 27. Urbarium, tabellae, et cetera instrumenta per comitatum sub authentico expedienda. — §. 28. Finitis operationibus fassiones ad novem puncta, et conscriptiones in 2. exemplaribus, tabellae, urbaria, conscriptiones juris montani in 4. exemplaribus comissario regio per exequentes praesentanda. — §. 29. Per hunc revidenda, et per comitatum sub authentico expedienda. — 30. Post haec in facie loci per exequentes urbarium publicandum, ad quod uberius intelligendum nonnulla sancita sunt, et quidem respectu puncti urbarialis;

I. §. 3. quoad agros in compensationem defectus pratorum, aut intravillani assignatos a nona et decima liberos. — II. §. 1. quoad educillationem. §. 2. quoad extirpaturas. §. 8. quoad lignorum quaestum, — sylvestrium fructuum collectionem, sylvas, lignationem item focalem, et aedilem. — III. puncti urbar. §. 3. quoad supererogationem laborum. §. 18. quoad depensionem telonii rem jam superius superatam esse. — IV. §. 3. quoad praestationem vituli. — V. §. 4. quoad nonam ex canabe et lino, vel filaturae praestationem. — §. 5. quoad species praestationi decimae obnoxias. — IX. §. 6. quoad grossum executionalem. — §. 10. puncti VIII. quoad trajectionem sabellicorum vel anserum ad agros vel sylvas impulsorum.

Post publicationem urbarii declarandum, quod coloni ab expensis metalibus immunes sint; rectificatio errorum in excisione constitutivi admittatur. — Urbarium in executionem abeat, non obstantibus nefors orituris difficultatibus. Praestationes et computus a tempore publicationis urbarii initium summant. Norma quoad depensionem restantiarum urbarialium defigitur. Urbarialis regulatio exacte observanda sub incursione poenae, vel actionis. Circa recursus subditorum, et injuriarum complanationem. — §. 51. Testimoniales literae super peracta urbariali executione expediantur. — §. 32. Contractus et privilegia authentica conformiter publicanda. — §. 33. In casu dubio inviatio a comissario regio petenda. — §.

34. Exequentes complanent querelas, complanari nequentes commissario regio referant. — §. 35. Relationes super laboribus suis hebdomadales praestent comissario regio, eidemque omnem respectum, et obedientiam exhibeant. — §. 36. Contravenientes dispositionibus regiis comissario referant, contribuentium autem sortem in omnibus suis operationibus cordi summant.

Harum, quae jam dudum praescriptae sunt, benignarum instructionum eam indolem esse, ut nunc quoque occasione discussionis, et decisionis casuum urbarialium summa sit earundem applicationis necessitas. Multa quidem iis continentur, quae jam effectui tradita penitus cessare videntur, plurima tamen iisdem complecti certum est, ad quorum principia nunc etiam recursus fieri debeat. Primitivus harum instructionum spiritus diversa continebat objecta, quorum pars altera normam manipulationis, quae sphaeram introducendi urbarii feriebat, in comitatibus observandae praescripsit, adeoque tempus introductionis urbarii, et epocham illius respicere potuit, pars altera autem ea complectebatur objecta, quae in stricto merito certa suppeditant normalia principia, a quibus recedere nec nunc quidem liberum est. Terminata generali urbariali in Hungaria regulatione, praescripti illius, quod ipsius introductionis urbarialis praxim involuit, necessitatem cessasse in aperto est, earum tamen benignarum dispositionum, quae ad classem fixorum principiorum, et perennis normae revocantur, tenores nunc quoque observari, et juxta easdem casus

urbariales decidi debere aeque certum est. Id unicum supremae executivae potestati reservatum fuisse, ut quod urbariali edicto, una cum instructione eidem adnexa, in codicem legis provisorie relato, necdum plene dilucidatum, aut exhaustum fuisse experientia doceret, id in commune emolumentum, pro munere, et autoritate eidem potestati executivae legetenus delatae, medio benignarum resolutionum suppleri debeat; non vero alio ex fundamento, quam ut in casibus lege non definitis, aut ita comparatis, ut circumstantiae subversantes ad hanc non tam facile applicari valeant, necessaria inter dominium terrestrale, et ejusdem urbarialem subditum defixa jam semel correlatio, semper reflexe ad rationem status publici in eo aequilibrio sustentetur, cuius conservationem et leges patriae, et praeexistentes b. resolutiones regiae exigunt. Huic autem officio nobili satisfacere, obligationis est tam dominiorum terrestralium, quibus fortunae colonorum, proprio cedunt commodo, quam et publicarum jurisdictionum, quarum autoritas plurimum caracteris in administratione justi, et aequi obtinere debet.

ART. III.

De instrumentis, ad quae in b. instructione pro comissariis regiis in re urbarili ad comitatus exmissis deserviente provocatio fit.

1. *Sub NB. et A. ad* §. 3. Est formula juramenti pro deputatis ad elaborandam locorum classificationem per comitatum denominatis deser-

viens: Ego N. juro per Deum vivum, gloriosam Dei Genitricem Virginem Mariam, ac omnes sanctos, et electos Dei, quod ad opus classificationis locorum I. Comitatus huiusce deputatus, tam in ipsis classibus, quam locis ad hanc vel illam classem ponendis, pro ratione status locorum, pensandorumque cuiusvis in individuo loci beneficiorum, et maleficiorum, quod secundum Deum, et ejus justitiam rectum in conscientia mea agnovero, sincere proponam, et agam, favore, amore, odio, gratia, prece, praemio, aliisque omnibus affectibus et complacentiae studiis semotis. Ita me Deus adjuvet, B. Virgo Maria, et omnes sancti, et electi Dei.

2. *Sub A.* — *ad* §. 5. Sunt 15 puncta genelia prohibitorum.

3. *Sub B.* — *ad* §. 12. Sunt novem puncta interrogatoria in tribus, utpote germanica, hungarica, et slavica linguis concinnata.

4. *Sub C.* — *ad* §. 13. Formular juramenti per colonos deponendi tam quoad novem puncta, quam quoad conscriptiones.

5. *Sub D.* — *ad* §. 14. Extractus beneficiorum, et maleficiorum ex responsis colonorum ad novem puncta interrogatoria, quoad universa comitatus N. loca erutus.

6. *Sub D. et NB. ad eundem §um.* Tabella urbarialis universalem statum colonorum Comitatus T. Districtus, vel Processus T. locorum actualem, seu ante urbarialem ex conscriptionibus, et fassionibus colonorum ad 9. interrogatoria puncta elicitis erutum succincte exhibens.

7. *Sub D. et NB. NB. ad* §. 22. Tabella urbarialis ex priori summaria tabella urbariali per ipsum comissarium regium elaborata, et Consilio regio locuml. submissa. Haec autem tabella est quoad singulum locum comitatus universalis.

8. *Sub E. ad* §. 23. *B. resolutio regia circa sistendas sufflaminationes officialium subditos perturbantes:* tenoris sequentis: Relato existente eo, quod in diversis dominiis constituti officiales, occasione regulationis urbarialis subditos partim ex fundis, et tenutis per ipsos adusque tentis excludere, partim in numero servandorum pecorum restringere, partim denique eosdem tum variis comminationibus, tum coloratis quibusdam, et falsis praefigurationibus, et commentis ita confusos reddere soleant, ut iidem coloni animi pendeant, utrum ipsos etiam sibi necessarios fundos retinere debeant, nec ne? cuiusmodi tentamina, et praesumptuosi ausus vero quemadmodum non alio dirigerentur, ac ut urbarialiter statuta interturbentur, et retardentur; ita huiusmodi temerariis, condignamque poenam promerentibus moliminibus dissimulando praeteriri nequeuntibus, omnibus in re urbariali exmisis comissariis regiis districtim injungi volumus, ut quamprimum compererint, quod unus, alterve dominiorum officialis, aut servitor quibusdam excogitis coloratis falsis ratiocinationibus vulgus, et populum perplexum, aut confusum reddere, vel per illicita praegravia, oppressiones, seu alias intricatas factiones, seu involutiones novum disordinem introducere, vel ipsi urbarialis regulationis

operationi praemeditata impedimenta ponere reipsa contendat, adversus talem absque mora formalem inquisitionem peragi, eamque eo semper subnexo num excedens dominalis officialis, aut servitor, regni Hungariae nobilis sit, vel non, Consilio locumt. regio repraesentari curent.

9. *Sub F. ad* §. 24. Patentales contra tumultuantes, seditiososque rusticos; cum designatione poenae pro ratione delicti 5, 10, annorum aut etiam perpetuae captivitatis emensurandae — mortis quoque poena pro ratione adjunctorum statuta. — dd. 26. aprilis anno 1766.

10. *Sub G. ad* §. 41. B. instructio pro exequentibus magistratualibus extradita.

ART. IV.

De instrumentis, ad quae in b. instructione pro magistratualibus urbarialem regulationem exequentibus deserviente provocatio fit.

1. *Sub A. nro.* 1. *ad cap. I.* §. 1. Formular juramenti per colonos deponendi, de quo in instructione comissariorum sub C. ad §. 13. sermo erat.

2. *Sub B. nro.* 2. *ad cap. I.* §. 1. Novem puncta interrogatoria, de quibus in instructione comissariorum sub B. ad §. 12. actum est.

3. *Sub C. nro.* 3. *ad cap. I.* §. 3. Connotatio exemplificativa beneficiorum et maleficiorum, juxta quam coloni ex novem punctis in ordine ad 4. per exequentes magistratuales in singulo loco examinari debent.

4. *Sub D. Nro.* 4. *ad cap. II.* §. 2. Conscriptio oppidi vel possessionis urbarialis, juxta rubricas in tractatu de instrumentis urbarialibus, designatas.

5. *Sub E. nro.* 5. *ad caput II.* §. 5. Conscriptio extirpaturarum oppidi vel possessionis juxta rubricas in citato tractatu attactas.

6. *Sub F. nro.* 6. *ad cap. III.* §. 3. Specificatio juris montani possessionis T. vel oppidi T. ad dominium TT. spectantis, juxta rubricas in citato tractatu designatas.

7. *Sub G. nro.* 7. *ad cap. III.* §. 7. Connotatio vinearum possessionis T. vel oppidi T. ad dominium TT. spectantis.

8. *Sub H. nro.* 8. *ad cap. IV.* §. 1. Puncta 15. generalia prohibitorum, in instructione etiam comissariorum regiorum sub A. ad §. 5. provocata.

9. *Sub I. nro.* 9. *ad cap. V.* §. 4. Urbaria impressa pro nona in natura A.

10. *Sub K. nro.* 10. *ad eundem* §. Urbaria impressa in tribus linguis pro nona in aequivalenti *a.*

11. *Sub L. nro.* 11. *ad cap. V.* §. 15. Inscriptiones in spatiis vacuis urbariorum faciendae (part. III. cap. I. art. 4.)

12. *Sub M. nro.* 12. *ad cap. V.* §. 22. Tabellae urbariales (parte III. cap. V. art. 1.)

13. *Sub N. Nro.* 13. *ad cap. V.* §. 22. Instrumentum quoad nonam habet sequentes rubricas:

1. In locis, in quibus subditi nonam eligunt in natura, et dominus terrestris ex canabe et

lino eligit peraeque nonam in natura; ponendum; *nona in natura incluso canabe et lino:*

2. In locis, in quibus subditi eligunt nonam in natura, dominus terrestris loco nonae canabis et lini filaturam; inserendum *nonae in natura excluso canabe et lino.*

3. Aequivalens nonae in robotta jugali, vel loco hujus manuali dierum nro. T.

4. Aequivalens nonae in pecunia fl. xr.

5. In locis, in quibus ex canabe et lino loco nonae eligitur filatura, exponentur librae 6 — 3 — $1\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$.

6. In locis, in quibus ex canabe et lino eligitur nona, rubrica filaturae absoluitur per — — — — — — — —

14. *Sub O. Nro.* 14. *ad cap. V.* §. 30. Patentales, in instructione comissariorum regiorum sub F. ad §. 24. (9.) provocatae.

15. *Sub P. Nro.* 15. *ad cap.* 5. §. 36. B. resolutio regia circa sistendas sufflaminationes officialium subditos perturbantes, in instructione comissariorum sub E. ad §um 23. provocata, cuius tenores puncto 8. attacti sunt.

16. *Sub Q. Nro.* 16. Supplementa nonnullas dilucidationes continentia, quae ad urbaria jam praevie et perprius impressa spectant, et quidem,

Ad punctum 1. *de constitutivo:* agris illis, qui in compensationem pratorum, et vicissim pratis illis, quae in compensationem defectus agrorum assignantur, colonis adest ubivis libera utendi potestas;

Ad punctum 2. de beneficiis colonorum. Ubi coloni ex defectu sylvarum lignatione carent, nec sectio, nec devectio orgialium lignorum pro parte dominii colonis incumbit.

Ad punctum 3. de robottis et servitutibus. De laboribus bijugo, vel quadrijugo quando et qualiter praestandis. Si penes araturam quadrijugo perficiendam, unum individuum non sufficeret, tunc colonus unum pro labore, alterum pro impellendis pecoribus qualificatum statuere debet, duo tamen haec individua ad aratrum destinata, aliis manualibus robottis gravari nequeant. (Solent in nonnullis locis, praesertim trans danubianis partibus coloni pro uno jugero terrae, per dominos terrestres ipsis exarendato, in vicem arendalis census, unum jugerum terrae pro dominio ternis vicibus subarare, et sic a proportione pro pluribus jugeribus; in aliis autem locis, praesertim remotioribus, solent pro aratura unius jugeri colonis duo floreni solvi, ac una panis, et potus hac occasione suppeditari ex parte dominii terrestralis.)

Quod vero dupplicationem robottarum concernit; obligatio est, ut unius integrae sessionis colonus ad summum unum diem jugalem, et duos dies manuales in continuo praestet; et quia mediae sessionis colonus septimanatim, tantummodo ad mediae diei jugalis, vel integrae diei manualis — quartalista vero ad quartam partem diei jugali, vel mediae diei manuali, obligatus esset, proinde talis colonus relate ad dupplicatas robottas unice juxta proportionem septimanalis obtingen-

tiae robottare tenebitur; quod etiam de octavalistis intelligendum. Inquilinis nullo tempore ad dupplicatas robottas adstringendis.

Ubi incolae fundos possident infra sessionem unius octavae, ab his nona duntaxat vel in natura vel in aequivalenti penditur, obtutu ceterarum datiarum et servitutum, prout domiciliati inquilini considerandi sunt.

Ad punctum 4. *de datiis.* Immunitas a praestatione butiri, ob defectum pascui vaccis servari nequentibus.

Ad p. 5. *de nona, et jure montano.* Ubi in locum nonae aequivalens in parata pecunia eligitur, unius integrae sessionis colonus titulo aequivalentis huius quatuor florenos et sic a proportione, mediae — quartae — et octavae sessionis colonus, ratam medietatem in festo S. Georgii, alteram autem in S. Michaelis — qua occasione etiam ceteri census depurantur, solvere obligatur.

Communes agri, et prata per communitatem absque onere possessa — eidem haud adimantur, aut novis inconsuetis oneribus afficiantur.

Summa huius quarti articuli maximi est momenti, tantoque maiori attentione digna, quo eodem admodum meritoria urbarialis instituti data absolvuntur; quibus si debite satisfiat, spiritui urbarialium dispositionum una egregie satisfactum fuisse nemo ambigere poterit. In his enim basim totius urbarialis regulationis consistere, eo certius est, quo spectatis adhaec supplementis urbarialibus, omnes fere casus urbariales maxima in parte eo revocari posse evidentius una patescit, si

illud praesertim in calculum summatur, "processus in materia urbarii fere omnes ita comparatos esse, ut occasione eorundem decisionis praeceptorum, quae isthic continentur, provocative etiam ad suos fontes, maximus usus fieri possit, et debeat. Experientia docet, causas urbariales potissimum in substrato fundorum, et robottarum desumptionis versari, ad quarum decisionem facilitandam, complexus praesentis articuli, et in eodem provocatorum egregie subservit; eo isthic attacto, ejectationem constitutivi sessionalis in sua urbariali competentia ita considerari debere, ut occasione cuiuscunque possessorii mutationis in sua quantitate vel qualitate constitutivum semper inconcussum et stabile maneat. Non adversari huic principio cambium, aut occasione commassationis tenutorum colonicalium necessitate exigente, constitutivorum alterationem; dum modo ea ineatur ratio, ne quid tempore tali, colonis, a priori possessorio motis, penes substitutionem novi constitutivi, in qualitate, quantitate, aut potius e fructu a suis tenutis antea percepto subtrahatur; quod cum alioquin in casu unico dimensionis geometricae, et regulationis tenutorum possessorii alicuius suo modo et forma fieri debeat, eam dudum jam emanasse resolutionem regiam, ut in similibus casibus, ponderando omnes locales circumstantias, et una necessitatem adjunctorum, regulatorii possessionum processus ex parte dominiorum terrestralium coram sede dominali penes assistentiam fisci magistratualis subditelae assignatam promoveantur, isthic decisi ad sedriam respectivi comitatus per articulare testimoni-

um fine revisionis semper referantur, abinde medio excelsi Consilii regii locumtenentialis, audito praevie, in quantum sphaeram calculi respicit, suo Exactoratu, comite ejusdem excelsi Consilii regii locumtenentialis opinione, suae Majestatis sacratissimae decisioni substernendi. Exactoratus autem locumtenentialis in hoc merito strictae obligationis est. 1. Reflectere ad calculum fororum subordinatorum in adnexis urbarialibus instrumentis, et detectos calculi errores rectificare. 2. Sollicite eo animadvertere, ut occasione comassationis tenutorum, et respective substitutionis constitutivorum novorum, reflexe ad aequivalens in quantitate vel qualitate, aut fructu e novis tenutis percipiendo qualiter designatum, et concernentibus colonis ejectatum, parallellam ducat, ope cuius status ante urbarialis, cum statu regulatorio, attamen juxta praescriptum b. dispositionum relate ad omnes positiones accommodato, bilancem sustineat ita, ut colonis per novam regulationem nulla prorsus injuria, aut damnum quodpiam illatum fuisse evincatur; eo attacto; quod communitatis quoque, intuitu fundorum communium, quos nefors antea possidebat, conformis reflexio haberi debeat. 3. Combinationem acclusorum in processu documentorum urbarialium comparative ad praeexistentes benignas resolutiones regias accuratam instituere, et si quae in merito differentia comperta fuerit, aut nefors errores intervenissent aliqui, primum ex hac combinatione detecti, pro nobili officio suo reflexiones depromere, ac una ulteriorum dispositionum necessitatem cum eo quod interest, proponere.

CAPUT V.

De urbarialibus instrumentis.

ART. I.

De tabellis urbarialibus.

Tabellae urbariales sunt essentialia regulationis praescriptae instrumenta, ad quae peculiariter reflectendum est; quia continent statum actualem possessorii colonorum, et respective inquilinorum nec non omnes datias, praestationes, et servitutes, quibus a proportione realis constitutivi sessionalis dominio suo terrestrali ad praescriptum urbarialis regulationis, et legum obstricti sunt.

Tabellae urbariales, quae juxta instructionem pro comissariis regiis deservientem, signanter §. 22. quoad singula lo ca in comitatibus seorsive conficiendae sunt, constant 16 rubricis, ex quibus basis urbarii, atque constitutivum sessionale individualiter relate ad singulum colonum, aut inquilinum patescit:

Sunt autem rubricae sequentes

1. Nomen et cognomen coloni. 2. Qualitas sessionis. 3. Constitutivum sessionis — intravillanae ad posonienses metretas, et 4. Extravillanae ad jugera agrorum, atque 5. ad falcastra reductae. 6. Annuae praestationes, jugales, vel harum loco. 7. Manuales. 8. Nona. 9. Census. 10. Ligna focalia per orgias, 11. filatura per libras 12. butiri mediae. 13. Capones 14. Pulli. 15. Ova. 16. Compensatio defectus fundi intravillani, vel pascui a nona liberi; de quibus in spiritu instructionis exequent. magistratualium cap. V. §. 22. suo loco meritorie actum.

Tabellae hae competenter adjustatae solent ubivis locorum urbarialiter tractatorum ipsi urbario locis extradari solito semper adnecti.

Tabella urbarialis ex urbario hungarici idiomatis desumpta.

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.	XIII.	XIV.	XV.	XVI.
Kereszt és Vezeték Nevek.	Jobbágy Helynek Minémösége.	Jobbágy Helynek. Belsö | Külsö Mivolta.			Esztendöbéli Szolgálot avagy Robot.		Kilenczed.	Adózások.							Belsö ház-hely, ésRétek fogyatkozásának helyre hozása, a' melybül kilenczed nem adattatik.
		Posonyi Mérőre való.	Szantó Föld Hold.	Rét Ember Vágó.	Marhás Robot.	Vagy e helett kézi Szolgálot.		Esztendöbéli Arenda.	Tüzre való Fa.	Fonas.	Ki főzött Vaj.	Kappan.	Csirke.	Tojás.	
		Nro.			Nap.			Flor.	öly.	Funt	Icze.	Nro.			Hold.

Tabella urbarialis ex urbario germanici idiomatis desumpta.

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.	XIII.	XIV.	XV.	XVI.
Taufnamen und Zunamen.	Eigenschaft der Ansäßigkeit.	Bestimmung der Ansäßigkeit.			Jährliche Robothen.		Neuntl.	Zins und Gaben.							Des inneren Grundes, oder Wiesen Abgangs-Ersatz, so vom Neuntel frey ist, Joch
		innere Grund.	äußere Grund.												
		Preßburger Metzen.	Joch Aecker.	Tagwerk Wiesen.	Zug = Robothe	Oder statt derselben Handroboth,		Zins.	Brennholz.	Gespunst.	Schmalz.	Kapaunen.	Hühner.	Eyer.	
		No.			Tag.			fl.	Klf.	Pf.	halbe	Nro.			Nro.

ART. II.

De libro funduali.

Liber fundualis (Grundbuch) singulae possessionis occasione urbarialis regulationis tenutorum colonicalium confici solitus continet sequentes rubricas:

1. Numerum domus. 2. Nomina colonorum una cum designatione intravillani, agrorumque, et pratorum, id est cum nomenclatione terrarum arabilium, et pratorum. 3. Sessionis qualitas. 4. Classis terrae. 5. Latitudo — una — alia — 6. Longitudo. 7. Quot orgias quadratas efficiant. 8. Jugera et quidem. 9. Intravillani 10. terrarum arabilium. 11. Currus foeni.

NB. Post colonos sequuntur inquilini, quorum intravillanum designatur, et si quid nefors in terris arabilibus vel falcastris possiderent, prout usus hinc et inde obtinet, peraeque in funduali libro annotandum est.

Liber fundualis adjustari debet per geometram, et in eodem contentam dimensionem, et tenutorum colonicalium divisionem, instituta in facie loci proba pluribus in locis remensurando ubique expositae quantitati conformem et adaequatam inventam, taliterque authenticatam recognoscendam esse per articulare testimonium, subscripto etiam goometra comitatensi.

ART. III.

De combinatorio possessionum status novi cum antiquo.

Combinatorium locorum, in quo status sessionum tabellae urbarialis novae et antiquae expositus habetur; pro remonstranda operationis legalitate est prorsus necessarium, quod sessiones in sua integritate complectatur, et peraeque per articulare testimonium una cum operante geometra subscriptum esse debet. Instrumentum isthoc combinatorium, summe est necessarium, praesertim ea occasione, dum ex parte dominii alicujus terrestralis, praemissa jam geometrica dimensione, ad regulationem, et respective comassationem tenutorum colonicalium et ceterorum fundorum via juris urbariali proceditur, et cum isthoc combinatorium, causae pro justo, et aequo decidendae plurimum subservire debet, jurisdictionum vigilantiam peculiariter per benignas resolutiones regias eo provocatam esse, ut nihil prorsus intermittant, quod ad genuinam, ac sinceram utriusque possessorii status eruderationem, et in hujus nexu sistendum accurate calculum suppeditare potest. Omnis hoc in merito exacta procedendi ratio magistratibus incumbit. Continet autem combinatorium sequentes rubricas. — Secundum antiquam tabellam 1. Numerus domus. 2. Nomina colonorum. 3. Sessionum indictatio, quantum quis possidet. 4. Quantum in metretis poson. efficiant. 5. Terrae arabiles. 6. Currus foeni. Secundum novam tabellam. 7. Numerus domus. 8, Nomina colonorum. 9. Sessionum indictatio. 10.

Quantum in metretis poson. efficiant. 11. Terrae arabiles. 12. Curus foeni.

Praeter haec peculiaria beneficia, quibus coloni fruuntur, in tabella utriusque generis annotanda sunt.

ART. IV.

De extractu dimensionis geometricae possessionum.

Extractus dimensionis possessionis N. ex urbariali tabella, et combinatorio confici solitus, subscriptione operantis geometrae comitatensis roboratus, actis tenutorum regulationis adnectitur, sunt autem sequentes rubricae: 1. Numerus domus. 2 Nomina colonorum. 3. Sessiones. 4. Metretae posoniens. 5. Terrae arabiles. 6. Currus foeni. 7. Terrae adjustationales. 8. Ea, quae praeter haec peculiariter obversanda et annotanda esse comperientur. Operata autem, quae per geometras dominiorum terrestralium nefors jam perprius confecta sunt, semper pro incumbentia officii per geometram comitatensem, ex respectu etiam vitandae cujus demumcunque compromissionis sollicite revideri, combinari, ac demum praescripto modo authenticari debent. Secus namque dimensiones geometrarum dominalium, velut privative dominiis suis obstrictorum, nullam probam in jure urbariali praestare possent.

ART. V.

De conspectu defectuum, aut supernatantiarum in tenutis urbarialibus.

Tabella conspectus defectuum, aut supernatantiarum in tenutis urbarialibus ex combinatione

deductionis geometricae cum conscriptione urbariali instituta erutorum habet sequentes rubricas. 1. Nomen coloni tempore urbarii introducti viventis, ut sub — —2. qualitas sessionis in tabella urbariali. 3. Nomen coloni actu viventis, ut sub —— 4. capacitas tenutorum juxta conscriptionem urbarialem *a.* in agris per metr. poson *b.* in pratis per falcastra. 5. Capacitas tenutorum juxta deductionem geometricam *a.* in agris per metretas posonienses *b.* in pratis per falcastra. 6. Consequenter prodit *a.* defectus in agris per metretas posonienses — in pratis per falcastra. *b.* Supernatantia in agris per metretas posonienses — in pratis per falcastra.

Solent nonnulla dominia in conspectu supernatantiarum addere rubricam depensionis terragii quantitati hujus supernatantiae commensurati; per terragium vero, in spiritu articuli 70. Andreae III. anni 1298. (vide clarissimi Kovachich suppl. p. I.) intelligi canonem seu taxam, per colonum domino suo terrestri inrecognitionem dominii directi praestari consuetam.

ART. VI.

De conscriptione extirpaturarum oppidi vel possessionis N.

Conscriptio haec habet istas rubricas. 1. Nomina et cognomina. 2. Terrae arabiles per metretas posonienses. 3. Ab his praestabant hactenus annue *a.* in parata pecunia florenos, xros. *b.* in robottis jugalibus — mannualibus dies *T.* *c.* in naturalibus — *T.* *d.* vel aliis. 4. Ab iisdem nunc praestant annue *a*—*b*—*c*—*d*— 5. Prata falcastro-

rum. 6. Ab his praestabant hactenus annue *a—b—c—d—* 7. Ab iisdem nunc praestant annue *a—b—c—d.*

Conscriptio extirpaturarum provocatur in instructione exequentium magistratualium sub *E.* et nro. 5.

Peracta extirpaturarum conscriptione, easdem in facie loci, praesentibus ibidem tam ipsis possessoribus, quam vero reliquis ejusdem loci incolis in conformitate b. resolutionis regiae anno 1771. quoad classificationem extirpaturarum emanatae, conscribentes judex nobilium, et jurassor e publico exmissi aestimant, et classificant; et super comperto relationem conficiunt, quaestionibus illis, quae quoad summas extirpaturis investitas, etc. occurrunt, ad sedem dominalem relegandis. In hoc processu instrumentum aestimationis et classificationis extirpaturarum ex parte dominii producendum est, dein literae emptionales, et venditionales, ac postulata colonorum, penes assistentiam fisci magistratualis producuntur, et sua serie per sententiam sedis dominalis deciduntur. Processus abhinc a revisione sedriae altioribus dicasteriis substernitur, et ubi resolutio regia advenit, in praesentia legalis testimonii exsolvuntur, et a colonis recipiuntur; quietantiis super tali exsolutione pro parte dominii per articulare testimonium coramisandis. Extirpaturae per amicam conventionem ab extirpantibus coram legali testimonio comitatus, et in praesentia, ac cum influxu fisci magistratualis olim recipiebantur quidem, prout resolutiones regiae 1772. 13. aprilis nro. 1760 et 23. april. nro. 1853. in comitatu

Sümeghiensi benigne admiserunt, casus tamen idmodi particulares nullam in contrarium generalis resolutionis normam praescribunt. Instrumentum conscriptionis reluendarum extirpaturarum, continet sequentes rubricas; quarum combinatio cum ipsa conscriptione instituenda est.

1. Nomen et cognomen extirpantis, et diverticuli. 2. Extirpatitia, *a.* terrarum jugera, *b.* falcastra. 3. Aetas extirpaturae. — unde consurrexerunt, an e sylvis allodialibus vel communitatis. 4, Classis. 5. Anni indultuales. 6. Solvit dominio ab extirpaturis juxta praemissa. 7. Solvit ad cassam contributionalem ab iisdem 8. Limitatio pretii extirpaturae juxta classes. 9. Obveniunt pro extirpatura tot fl. xr. 10. Emptitia. *a.* terrarum jugera, *b.* Pratorum falcastra. 11. Pretium extirpaturarum emptitiarum. 12- In summa ad singulum colonum obvenit pro extirpaturis. fl. xr.

NB. Extirpaturarum reluitionis modalitas attingitur jam art. 58. 1625. — et 48. 1655.

Part. I. tit. 134. ubi de aestimatione bonorum agitur, habet; demptis abhinc terris et pratis extirpatitiis, quae colonos proprie concernunt, et non ad sessiones pertinent. Literae Gewähr dictae vel consensuales dominii pro parte eorum, qui extirpaturas possident, in processibus adductae peculiarem subeunt attentionem.

In procesibus ad reluitionem extirpaturarum ex parte dominii terrestralis contra respectivos colonos suscitatis, eo praesertim etiam reflectendum est.

1. An in possessione N. libera emptio et ven-

ditio fundorum, libertas item cambii, et impignorationis tenutorum rustica manu excultorum praefuerit, et a quo tempore? Si enim haec jam ante et post introductum urbarium realiter exercebatur, tunc inhibitio officiolatus dominalis tardioris epochae, praeprimis si reali usu haud sit roborata, sed nec autoritate jurisdictionis legalis et necessario administrationis caractere vestita fuerit, ejus vigoris, et extensionis reputari haud potest, ut motivo illius, subditelam in obversum benignarum resolutionum, contra omne jus et aequm gravius in eo damnificari oporteat, ut summarum emptionalium, venditionalium, aut investitionalium jacturam patiatur.

2. Si e consensualibus dominii terrestralis pro parte et ad rationem colonorum exaratis perspiciatur natura et indoles tenutorum extirpatitiorum, quae empta, vendita, aut legata, vel divisioni substrata sunt, in quorum perpetuo ac irrestricto possessorio coloni juxta libros funduales, aut literas guerales de successore in sussessorem relicti extiterunt, tunc nullatenus cum legibus, et benigni urbarii spiritu conciliatur, ut favores et jura consensualibus dominii, et continuo usu sancita perimi, adeoque actuales fundorum possessores penes instrumenta, quae perpetuitatis possessorii de successore ad successorem clausulam continerent, iisdem fundis privari admittantur; tanto minus, quod usitata clausula, *servatis tamen juribus dominalibus*, quae nonnunquam consensualibus inseritur, de lege fundorum sessionalium ademptionem nisi in casibus eadem defixis indulgeat.

3. Extirpatitii fundi contributioni subjecti, et antiquitus jam dicalem conscriptionem ingressi, naturam eorum, qui reluitioni subsunt, amittere videntur; et ideo juxta principia quoad extirpaturas statuta, tractari nequeunt.

Relate ad querelas nonnullorum colonorum dominii Muraköz (Csáktornya) in eo positas, quod ex extirpaturis eorum praeter pactatum censum decima quoque in natura desumpta fuerit, nris 2293. anni 1803. et 5915. 1804. — cum duplex terragii exactio, ex terris extirpatitiis locum non habeat; sed nec decima clericalis ab extirpaturis competat, siquidem juxta numerum 5307. 1805. respectu terrarum harum nec anterior nec posterior usus alter compertus sit; quam qui *indultualibus* per id declaratus est, quod a quaestionatis terris ceteroquin sufficienti censu affectis, neque decima, neque vero nona competat, una dispositum est, quatenus querulantibus relate ad ea, quae ultra censum indultualium indebite desumpta sunt, bonificatio praestetur, et super effectu relatio submittatur.

ART. VII.

De instrumento extirpaturarum reluitionali.

Praemissis jam superiori loco de modalitate extirpaturarum reluitionis, omnibus iis, quae in rem scitu necessaria sunt, solutio in instrumento extirpaturarum reluitionali continet rubricam unam, quae vigore productarum emptionalium, aut investitionalium solutionem factam perhibet,

— alteram autem rubricam, quae ob defectum emptionalium aut investitionalium in sensu b. urbarialis dispositionis juxta defixum reluitionale systema factam solutionem conspectui sistit. Instrumentum super solutis summis levatis per colonos subscribi, et per exmissos magistratuales, ac legale testimonium peraeque subscriptione roborari debet.

NB. Respectu extirpaturarum, quae ante exsolutionem, et resolutionem sessionalibus constitutivis adjectae sunt, pro praeterito ipsae urbariales praestationes, velut indebite exactae refundantur, et insuper merces extirpaturarum bonificetur. Die 12. novbr. 1776. nro. 5813. Comitatui Lyptoviensi intimatum. Si subditus pecuniam pro adempta domo, et bonificatione pretii factae per eundem extirpaturae obvenientem levare nollet, pecunia ad cassam comitatus in sortem contributionis per eundem subditum pendendae imputanda deponatur, quietantia per levantem perceptorem extradetur, vigore resolutionis anni 1785. 18. julii. nro. 8534.

In omnibus autem processibus natura, et indoles extirpaturarum debite erit eruenda et defigenda; atque ad illud, quod antiquae extirpaturae suam propriam amittentes, naturam terrarum remanentialium imbuant, semper reflectendum; natura enim extirpaturarum perennis non est, et si praescriptionis anni eatenus admittuntur, ad classem hanc non improprie revocari poterunt. Fortasse ex hoc principio emanavit benigna resolutio regia in processu urbariali colono-

rum communitatis Isztimér in comitatu albensi, vigore cujus intimatum est ad nrum aul. 6510. et 14501. 1815, ut fundi extirpatitii, qui in sensu impopulationalis contractus (anni 1751) a colonis incompetenter adempti sunt, eisdem in constitutivum sessionis imputandi, erga urbariales praestationes restituantur.

ART. VIII.

De specificatione juris montani.

Specificatio juris montani possesionis vel oppidi alicujus habet sequentes rubricas. 1. numerus serialis. 2. in promontorio T. nomina et cognomina. 3. fossores numero. 4. titulo juris montani praestabunt.

a. Urnas. — *b.* Pintas. — *c.* Medias. — *d.* Sextarios; totum in posoniensibus mensuris.

Expost sequuntur extranei in dicto promontorio, et sic terminato uno promontorio digressus fit praeexposito ordine ad alia promontoria. — *Sub F. et N.* 6.

Connotatio autem vinearum possessionis vel oppidi alicujus habet has rubricas 1. Numerum serialem. 2. In promontorio T. nomina et cognomina. 3. Fossores. Numero tot; deinde sequuntur extranei. Terminato uno promontorio, digressus fit ad alia promontoria. Provocatur in instructione exeq. mag. sub *G.* et nro. 7.

Quoad vinearum abaestimationes consulantur articuli 58. 1625 et 48. 1655.

Ea, quae dicta sunt generatim, juvabit vel unico exemplo illustrare, quoad designationem juris montani.

Ex juratis colonorum fassionibus ad novem idealia puncta elicitis, in possessione Sando comitatu Sümegh observatum fuit, in promontori terreno dictae possessionis incorporato, loco juris montani, secundum numerum fossorum pintas musti, dominio administratas, occasioneque ea, dum posoniensis mensura induci debuisset, quamlibet montanistarum vineam orgiis regalibus dimensuratum fuisse; cum autem medium jugerum unius metretae posoniensis capax (sunt formalia exmissi magistratualis) orgiae regales 360 in quadro facerent, ideo ad medium tale jugerum unum, urnam posoniensem, et sic a proportione considerando taliter praestationem juris montani individualiter elaboratam extitisse, anno 1767. die 4. octobris. — Ex actis autem anni 1787. die 26. novembris relationi exequentis magistratualis acclusis patebat, quod dimensio ab orgiis regalibus quadratis 360 juxta tripartitalem legem sumpta, et peracta extiterit, quae geometrice ad orgias quadratas viennenses reducta faceret orgias 640 atque ideo modo a singulis 640, orgiis quadratis est ejectata titulo juris montani urna una, et haec ejectatio juxta priorem usum, ita, ut subvineta quoque usuabilia juri montano inclusa, subjectaque esse intelligantur; peracta est. In contractu possessionis Inke, de anno 1734. patet, quoad praestationem juris montani eum usum fuisse, ut a singulis triginta ordines numerantibus vineis, titulo juris montani duas urnas, cubulum item avenae, et unum caponem cum redemptione per quatuor grossos, praestiterint. — Ordinibus vinearum,

similibusque, quae desummebantur, praestationibus, per benignas resolutiones regias ceteroquin cassatis.

Normale regulationis montanae dominii Csáktornya prodivit anno 1771 ad nrum aul. 959. unde patet, promontorium hoc adeo amplum esse, ut in longitudine milliaria tria, in latitudine vero duo milliaria a Dravo usque Muram in superiori insulae Muraköz parte situatum complectatur, in quatuor parochias pro sacrorum administratione, et septem montanos districtus sub quatuor exactoribus juris montani subdivisum.

ART. IX.

De conscriptione et investigatione fundorum censualisticorum in possessione N.N. per legale testimonium peracta, processibusque eatenus agitatis.

Conscriptio haec habet rubricas. 1. Numerus serialis. 2. Nomina et cognominae incolarum censualistarum spectantium ad dominum N. 3. Quorum tenuta extant in possessione, et possidentur per domesticum vel extraneum. 4. Terrarum arbilium per jugera. 5. Pratorum. 6. Pascetorum per falcastra. 7. Sylvarum per jugera. 8. Palliseciorum. 9. A quibus annuum censum solvunt. *a.* In parata fl. — xr. *b.* In vecturis, vel aratris — numero tot. *c.* Laboratoribus pedestritus. nro. tot. *d.* In naturalibus.

1. Vini. 2. Tritici. 3. Millii. 4. Avenae 5. Caponum. 6. Pullorum.

10. Ex productione literarum sub numeris. 11. Legitimatio possessorii.

In processu urbariali fisci dominalis dominii Dörgitse Custodiatus Albensis contra censualistas in possessionibus Felsö, et Also Dörgitse, nec non Akali in comitatu de Szala ad exaestimationem fundorum censualisticorum agitato, emanata sub nro. aul. 1722. 1816. b. resolutio regia, haec habet; cum id qualiter actionales fundi praetensive curiales (qui vigore contractus impopulationalis 1751. per nobiles etiam penes literas sic dictas guerales possidentur) occasione introducti b. urbarii, obtutu etiam dotationis constitutivorum urbarialium considerati? qua epocha e manibus dominii ad possessorium incattorum devoluti, et successive tractati, an item dicalem, fundualem, vel urbarialem conscriptionem ingressi sint, ac generatim, num tenuta haec spectato b. resolutionis regiae die 20. septembris 1773. Nro. $\frac{5023}{4744}$ circulariter publicatae, scopo, ex fundis allodialibus, aut impopulationi subjectis, vel vero desertis post annum decretorium 1741. exsurrexerint, et quanto tempore per censualistas possideantur? in processu hucadusque sufficienter remonstratum haud sit, insuper vero perpenso eo, quod subsistentia subditelae et ratio capacitatis ferendorum publicorum, et dominalium onerum, praeprimis justam semper subire debeat reflexionem, combinatorium quoque conditionis prioris tractamenti cum eo, quod imminens status regulatorius induceret, elaboratum actis adjici omnino oporteat, hinc sua via penes respectivam sedem dominalem, ea, quae ulterior processus continuatio quoad posita data, inducendasque eatenus le-

gales probas deposcit, modo et forma praescriptis continuative superanda disposita sunt. —

Processus censualistici in stricto sensu ab urbarialibus discernendi sunt. In processu sedis dominalis dominii Szent Helena comitatu Szalad, contra censualistas dominales, foenilia dominalia (quae ex extirpaturis consurrexisse apparent) ex censu possidentes, in merito invalidandi contractus, et literarum gueralium censualisticarum moto, et sua forma deciso, haec sub numero 9655. aul. 1813. emanavit resolutio; cum in processu hoc (per comitatum Szalad. ad censualisticum adeoque stricte juridicum relato) praecise ad invalidationem sic dictarum literarum gueralium, tempore adhuc possessorii cameralis, cum praejudicio jurium dominalium inactive extradatarum, agatur, nullâque urbarialis quaestio implicetur, eundem pro stricte judiciario reputandum esse.

Quamvis quaestio circa praetensive curialem censualisticorum fundorum naturam, agitatusque in rem coram concernenti foro processus, ad sphaeram urbarialem haud pertineat; ante eiusdem tamen quaestionis suo loco et modo meritoriam decisionem, tractamentum censualistarum, et colonorum via facti per dominium alterari nequire, adeoque cunctas tam obtutu robottarum, quam et defixi tractamenti interventas nefors in obversum initorum contractuum ex parte dominii innovationes, velut ante determinium litis prorsus illegales pro invigorosis declarandas esse.

ART. X.

De summario extractu oppidi vel possessionis N.

Summarius extractus iste habet 42 rubricas. 1. Nomina oppidi vel possessionis. 2. Sessiones. 3. Intravillana. 4. Terrae arabiles. 5. Prata. 6. Vineae. 7. Subvineta.—NB. a numero 3. usque 7. dominalia. 8, Intravillana inquilinorum. 9. Sessionalistae intravillana. 10. Terrae arabiles. 11. Prata. 12. Molitores intravillana. 13. Terrae arabiles. 14. Prata. 15. Arendatores intravillana. 16. Terrae arabiles. 17. Prata. 18. Nobiles intravillana. 19. Terrae arabiles. 20. Prata. 21. Parochus intravillana. 22. Terrae arabiles. 23. Prata. 24. Ludirector intravillana. 25. Terrae arabiles. 26. Prata. 27. Notarius intravillana. 28. Terrae arabiles. 29. Prata. 30. Communitas intravillana. 31. Terrae arabiles. 32. Prata. 33. Cauleta censualia. 34. Canabeta censualia. 35. Pascuum. 36. Vineae. 37. Subvineta. 38. Sylvae. 39. Caricetum. 40. Inutilia. 41. Controversae plagae. 42. In summa.

Totum autem in iugeribus per quadratas orgias exponitur.

ART. XI.

De ceteris instrumentis urbarialibus.

Conscriptio utpote desertorum fundorum, novem interrogatoria puncta, extractus item beneficiorum, et maleficiorum, de quibus jam actum est.

Porro extractus protocolli robottalis ex parte oppidi, vel possessionis N. de anno 1815. *habet sequentes rubricas.*

1. Nomina et cognomina colonorum, inquilinorum domiciliatorum, et subinquilinorum. 2. Sessionis qualitas, an integrae, vel mediae, quartae, vel octavae sit. 3. Restantia robottarum manualium anni 1814. 4. Competentia robottarum manualium anni 1815. 5. Summa totius competentiae. 6. Praestitit in summa dies manuales. 7. Plus. 8. Minus.

In casibus, ubi lignatio gratuita obtinet, exponi debent dies manuales etiam pro fissione lignorum obvenientes, in separata rubrica.

Extractus robottae contractualis oppidi vel possessionis N. pro anno 1815.

1. Nomina et cognomina colonorum, inquilinorum domiciliatorum, et subinquilinorum.

NB. ponantur autem primo coloni integrae sessionis, deinde mediae, etc.

2. Summa totius competentie anni 1815. 3. Praestitit in summa dies manuales T. 4. Plus. 5. Minus. 6. Obtingens in parata, floreni tot. xri tot.

Connotatio laborum per inquilinos possessionis vel oppidi N. pro parata praestitorum anno 1815. *habet sequentes rubricas.*

1. Nomina inquilinorum et cognomina *a* viri, *b* feminae, *c* pueri. 2. Fossura I. praestiterunt dies manuales tot. 3. Fossura II. — *a* — *b* — *c* —

4. Pampinatio et ligatura — *a* — *b* — *c*. 5. Fossura III. — *a* — *b* — *c*. 6. Tectura vineae — *a* — *b* — *c*. 7. Foeni, et cordi falcatio, et collectio — *a* — *b* — *c*. 8. In extirpatione inutilium herbarum ex satis — *a* — *b* — *c*. 9. Incussio et extractio palorum — *a* — *b* — *c*. 10. In summa tot.

NB. Si quae laborum species, praeter expositas occurrerent, hae quoque rubricis inserendae erunt.

ART. XII.

De executionalibus urbarialibus.

In conformitate instructionis exequentium magistratualium cap. V. §. 31. super tota rei gestae serie claras, adeoque ambiguitate omni carentes, observato cum seriatim fienda provocatione, et paragraphorum ordine iidem concinnabunt testimoniales literas subscriptionibus et sigillis suis roborandas, ac in quadruplicibus exemplaribus expediendas, quorum unum dominis terrestribus, aliud vero communitati consignabunt, reliquaque duo comitatui referent, aut prout comissarius regius disposuerit, eidem seu praesentabunt, seu secura occasione submittent.

Ut porro has eo facilius, magisque reflexe ac expedite concinnare valeant, peculiare diarium sibi servabunt, in quo sinoptice dietim annotabunt, ubi et quid egerint? ac qualiter processerint; quod diarium eo etiam deserviet; ut in occursuris casibus pro re nata seu desideratas, seu alias etiam necessarias informationes comissario regio aut cui hic dandas comiserit, semper in

promptu facere possint. Praeter autem praededucta in testimonialibus in locis illis, in quibus promontoria non dantur, 1. haec carentia positive, ac clare exprimatur, ut sciatur causalitas non conscripti juris montani, expositique in urbario termini, ad quem educillatio admittitur. 2. Siquidem capite 2. de conscriptione ad §. 6. benigne ordinatum jam esset, ut in ipsa etiam conscriptione qualitas glebae, et numerus metiendarum quadratarum orgiarum positive exprimatur, hinc si etiam terrae occasione regulationis mensuratae non fuerint, executionali relationi tamen positive inseratur, habita glebae qualitatis ratione, a quot orgiis in casum mensurandarum sessionalium terrarum dimensio fieri debeat. Et denique in concinnatione istarum testimonalium exprimant omnia illa debito, ac connexivo ordine, quaeque in urbariis, tabellis urbarialibus, ac conscriptionibus juris montani, et nonae vinorum expressa non habentur, suntque tamen pro futura tam dominorum terrestrium, eorundemque officialium, ac subditorum notitia, directione, et observatione necessaria, notanter vero illa, quae in superioribus pro eorundem inviatione concernenter declaranda comittuntur.

Tenores executionalium testimonialium pro exemplo adducuntur possessionis Nagy Bilicz in comitatu Nitriensi (practici enim casus optime dilucidant instructionem).

Infrascripti harum per vigorem recognoscimus; quod posteaquam in generali incliti comitatus hujus Nitriensis die 31. mensis januar. et in

anno abhinc 1769. in arce Nitriae celebrata congregatione, erga benignum sacratissimae caesareo et regio apostolicae Majestatis positivum et inalterabile mandatum, per spectabilem ac magnificum dominum comissarium regium fine peragendae in possessione Nagy Bilicz ad illustrissimum dominum baronem Antonium Mednyanszky de Medgyes, spectabiles item ac perillustres dominos Emericum Bossányi de Nagy Bossán, Josephum et Carolum Kvassay de eadem, et Josephum Pongracz spectante, et pertinente praelibato inclito comitatui Nitriensi ingremiata degentium colonorum, eorundemque tam intra, quam extravillanorum fundorum conscriptionis, et introducendae in praeattactam possessionem b. urbarialis regulationis ad exigentiam b. instructionis regiae pro exequentibus deputati fuissemus, tam in conscribendis memoratae possessionis intra, et extravillanis fundis, quam vero in executione attactae urbarialis regulationis ad exigentiam benignae exequentibus extraditae instructionis regiae modo et ordine subnexis processerimus.

Notificato praevie terrestrali dominio et incolis attactae possessionis exitus nostri die, adjuratis in praesentia terrestralis dominii judice, juratis, et senioribus, fassiones illorum ad novem interrogatoria puncta secundum ea, quae in benignae instructionis regiae cap. I. prae scribuntur (ut adnexum cum responsis exhibet) excepimus.

Conscriptis expost ad praescriptum benignae ejusdem instructionis regiae cap. II. (quemad-

modum adnexae similiter conscriptiones remonstrant) sessionalibus tam intra, quam extravillanis (nullis hic loci praedialibus fundis, pomariis, prunetis, aut lupuletis in terris sessionalibus extravillanis repertis). — —

Tandem in desertos quoque fundos inquisivimus, ubi juxta fassiones colonorum ad novem interrogatoria puncta numeratae erant desertae sessiones quartales nro. 34. quas ab immemoriali, et ante connumerationem portarum domini terrestres possederunt, et ideo conscriptionem ingressae non sunt.

Praeexistens denique ante urbarialem regulationem sessionum qualitas in praeadvoluta sessionum rubrica loco 1. posita expressata habetur, urbariisque ly vindemiarum inseruimus.

Ad haec terrestrali dominio extra usum desummendae in natura nonae constituto, tametsi subditos ad praestandam eandem nisu omni disposuissemus, his nihilominus aequivalens illius praeeligentibus, dominium terrestrale paratum aes denominavit.

Demum possessione hac promontorio communi destituta, circa liquidas et aridas mensuras ea, quae in cap. III. §. 7. praescribuntur, effectuavimus.

Generalibus dein prohibitis punctis, incolis possessionis hujus perlectis, et publicatis, neque vero seu prius, seu sub ipsum regulationis tempus quapiam transgressione eorundem eveniente, accuratam tam terrestrali dominio, quam et

subditis observationem illorum altissimo nomine regio imposuimus.

His effectuatis praetitulato domino comissario regio confectionem urbariorum, et urbarialium tabellarum causa celerioris expeditionis in se recipiente, siquidem terrestrale dominium ad colonicalium sessionum redintegrationem modalitate in §. 18. cap. V. praescripta instituendam disponi non potuisset, praeattactae proinde colonicales sessiones super impositis iisdem a proportione sessionalium fundorum urbarialibus oneribus in statu, quo praefuerunt, relictae sunt.

Urbario igitur et tabella urbariali pro possessione hac deservientibus praemisso modo praeparatis, iisque in quadruplici, fassionibus vero ad novem interrogatoria, et conscriptionibus sessionalium fundorum in duobus exemplaribus authentico comitatus sigillo, sub extradata notariali roboratis, et urbario ac urbariali tabella terrestrali dominio et incolis extradandis in duplici, fassionibus vero ad novem interrogatoria puncta et conscriptionibus sessionalium fundorum pro ulteriori directione nostra in uno exemplaribus ad manus nostras receptis, rursus ad faciem possessionis hujus exiveramus, ibidemque

1. Publicato et extradato cum urbariali tabella, urbario, ad accuratam ejusdem observationem tam terrestrale dominium, quam et incolas, hos quidem ad ea, quae in benignis patentalibus adversum inquietos, et inobedientes decernuntur, illud vero notanter officiales ejusdem ad benignum rescriptum regium, quo mediante con-

tra excedentes actio fiscalis erigenda praecipitur, reflectendo adhortati sumus.

2. Incolas loci hujus ad praestandam modalitate in h. urbario seriatim praescripta nonam inviavimus.

3. Telonio dominali non existente, neque subditos teloniali praestationi intra dominium obnoxiari declaravimus.

4. Incolas loci hujus lignatione destitutos, neque ad orgialium lignorum vecturam obligari, et neque defectui huic ullo modo subveniri potest.

5. Praeelecto aequivalente, nonam ex canabe aut lino, aut filaturam, velut haec etiam sub illo comprehensa a subditis exigi non posse palam fecimus, quam etiam in tabellari rubrica expunximus.

6. Subditos sufficienti pascuo hic loci provisos inhiberi, ne pascuum per subarationem illius arctius efficiatur; et inquilinis non majorem, quam octavalistae intertenendorum pecorum et pecudum numerum admitti, trifoliique seminationem ipsis serio imposuimus.

7. D. Parocho, et ludimagistro loci hujus privato pascuo provisis, nullis ceteroquin officialibus, aut servitoribus dominalibus in hac possessione degentibus, nec intertenendorum pecorum aut pecudum per eosdem numerum determinavimus.

8. Terras et prata communitatis in urbariali tabella expositas ab omni hactenus onere libera, neque deinceps cuicunque oneri subjici posse.

9. Licitum esse incolis pro tempore urbarialiter sibi concesso, vinum ubicunque comparatum seu in stabili educillo, seu rusticana domo educillare.

10. Culpa dominii supererogatos labores laboribus sequentis anni imputari non posse, verum occasione investigationis annuae incolis parato aere bonificandos venire, e converso culpabilem incolarum restantiam juxta dispositionem b. urbarialis regulationis compensandam esse.

11. Incolas loci hujus, integras 30. sessiones colonicales non continentes, loco vituli a singula integra sessione singulos grossos annue dependere obligari.

12. Decimam clero vigore articuli 1. 1481. ex agnellis, apibus, puro aut siligine mixto tritico, siligine. millio, hordeo et avena praestandam venire.

13. Executionales grossos dietim solvendos non respectu singuli restantiarii incolae, sed respectu singulorum exequentium intelligi, restantias vero occasione urbarialis executionis inter subditos repertas, plene complanatas esse comperimus.

14. Praemonito subdito, ne s. v. sabellicos ad agros aut sylvas impellat, trajectionem quidem eorundem licitam esse, carnem tamen illorum, aut anserum trajectorum restituendam aut bonificandam esse.

15. Occasione accommodandae metalis controversiae omnia onera solum terrestrale dominium supportare debere.

16. Admissum esse, ut emergentes circa regulatos fundos defectus ad remonstrationem unius, aut alterius partis semper emendari possint.

Ceterum praeter et ultra haec omnia illa etiam, quae in b. supplemento continentur, tam ipsis terrestribus dominis, quam et subditis seriatim et diserte exposuimus, eosdemque ad accuratam universorum obligationem adhortati sumus, et commonuimus.

Tandem porro sublatis circa praestationes urbariales per b. resolutionem regiam universis unam integram octavam non efficientibus in urbariali tabella erronee expositis fractis, has nec per dominium terrestrale exigi posse, neque vero per subditos praestari debere declaravimus.

Super qua praevio modo per nos peracta executione praesentem fidelem facimus relationem; eamque praetitulato domino comissario regio in duobus praesentavimus, in tertio vero terrestrali dominio, in quarto denique exemplaribus incolis extradedimus. Datum in antelata possessione N. Bilicz die 18. aug. 1773. Joannes Besznak exmissus conscriptus m. p. (L. S.) Stephanus Simonyi adjunctus m. p. (L. S.)

CAPUT VI.

De contractibus urbarialibus.

ART. I.

De investigatione praeexistentiae contractuum, urbariorum item, et privilegiorum occasione examinis ad novem puncta interrogatoria.

Ut universa urbarialis regulatio in toto comitatu ad celeriorem finalem consistentiam perduci valeat, comissarii regii intenti sint perquam sollicite, ut occasione illa, dum examina ad novem puncta, et conscriptiones locorum per classificationalem deputationem assummentur, sub praesidio comissarii regii sollicita cum combinatione investigetur (quod ipsum utique ex responsis ad novem puncta facile resciri potest) quae nempe loca contractibus, privilegiis, et urbariis, provisa existant, quae omnino statim separatim connotentur, et statim post peractam classificationem quoad singulum locum separatim istiusmodi contractus, privilegia, et urbaria, quae utique ad responsa novem punctorum advolvi debebant, ex iisdem novem punctis una cum isthic pertinente responso excipiantur et excerpantur, et respectu singuli loci separatim colligentur, respectuque singuli loci excepta istiusmodi provocata documenta per notarium specifice connotentur, ac per eundem recipiantur, disponaturque statim, ut istiusmodi contractus, privilegia, et urbaria in primitus, statim vero hoc fine praefigenda sedria assummantur et Majestati suae sacratissimae via Consilii regii locumtenentialis repraesententur; super termino

autem et loco sedriae praefixum in finem celebrandae tam ipsi concernentes domini terrestres, vel his absentibus eorundem administri, quam et locorum communitates, quibus fiscus magistratualis assistere obligabitur. praevie edoceantur. Instr. comiss. regiorum §. 26. ad p. 3.

ART. II.

De praeexistentibus contractibus, urbariis, et privilegiis non abrogandis.

Ne per regulationem urbarialem normalem, seu privilegia locorum, seu universi contractus et urbaria rite confecta plene pro abrogatis et sublatis haberi existimentur, respectu horum b. statuitur, ut si quae loca, vel communitates semet privilegiis provisas praetenderent, et in horum usu hactenus praeexstitissent, si item urbaria in aliquibus locis rite ac legitime confecta intercessissent, aut contractus occasione impopulationis, vel vero cum liberae migrationis hominibus initi esse observarentur, attunc hujusmodi privilegia, contractus, et urbaria primum quidem in sedria referantur, et si per eandem pro validis et vigorosis habebuntur, tandem via Consilii regii locumtenentialis pro suprema inspectione suae Majestati sacratissimae repraesententur. Instr. comissariorum regium §. 26. ad punctum 1.

Cum contractus communitati extraditus juxta b. normales dispositiones, velut stabile pro futuro colonorum tractamentum constituens altissimam revisionem pertransire debeat, continuatus in conformitate ejusdem plurium etiam annorum

usus communitatibus praejudicare nequit; non enim sive expresso, sive tacito consensu, sed principiis per b. urbarium et altissimas resolutiones regias praestabilitis res urbarialis absolvitur.

ART. III.

De contractibus pro perpetuo confectis prout urbaria legalia considerandis.

In discussione ipsorum contractuum accurate investigetur, qualisnam speciei iidem sint? contractus illi, qui nimirum occasione impopulationis alicujus novi loci, aut ubi homines liberae migrationis se novo cuidam domino terrestri subjiciunt, intra ejusmodi dominum terrestrem, et pro tunc liberum rusticum citra vim et metum pro perpetuo, et utraque ex parte irrevocabiliter confecti fuerint, pro vigorosis per omnia ita, sicuti ipsa legalia urbaria considerari, et manuteneri valebunt; per consequens ad speciem formalis urbarii transmutandi erunt, atque id solum, quod tantisper obscurum foret, et respectu constitutivi sessionalis plane deesset, a proportione onerum colonicalium pro justo supplendum, meliusque declarandum veniet, de casu in casum tamen ejusmodi contractus pro suprema inspectione suae Majestati representen tur. Instructio comiss. regior. §. 26. ad punctum 2.

Illud quoque circa contractus perpetuos omni solennitate munitos, in generali comitatus congregatione relatos, adprobatos, et in usum deductos attente observandum erit, quod vigorem non amittant propterea, quod hi quaqua ratione recentio-

ribus his annis violati extiterint. Ibid. ad punctum 3. Jam ipse terminus perennalis, aut temporanei contractus certam sistere debet ideam; id tamen una certum est, quod si per contractus, non stricte perennales, adeoque de tempore in tempus renovatos, tractamentum comunitatis alicujus nunquam mutatum, aut eadem comunitas urbario subjecta sit, contractus hi, pro simplicibus temporaneis, seu talibus, qui velut immemorialis usus, favorem stricte perennalibus correspondentem, pro usu contractuali ultro continuando et stabiliendo, conciliare nequirent, reputari, adeoque eisdem formalis urbarialis regulatio substitui haud possit.

ART. IV.

De subditis non ruralibus sed oppidanis juxta contractum tractatis.

In casibus illis, in quibus subditi non rurales, sed oppidani magna in parte quaestores, et opifices hactenus nunquam ad onera, et servitia quaepiam urbarialia adstricti, sed semper juxta contractus tractati fuissent, nisi contractus illi alioquin stabiles et perpetui fuissent, comitatus agat, ut dominium terrestrale cum istiusmodi oppidanis novam coram testimonio comitatensi cum libero utriusque partis tractantis consensu ineat conventionem, sedriae comitatus referendam, ac medio comitatus via Consilii regii locumtenentialis suae Majestati sacratissimae repraesentandam. Interea vero, donec haec nova conventio per suam Majestatem sacratissimam benigne ratihabita non fuerit, subditi oppidani penes priorem contractum

manuteneantur, et juxta hunc nonnisi ab iisdem praestanda praestentur. Ibid. ad p. 3.

ART. V.

De contractibus temporaneis urbariali regulatione haud onerosioribus.

Illi contractus, qui juxta beneplacitum duntaxat domini terrestris confecti sunt, et temporaneam saltem, neque ullam stabilem obligationem induxerunt, quemadmodum nullam attentionem merentur, ita pro vigorosis haud considerandi seponantur; dominique terrestres ad assummendam benigne praescriptam urbarialem regulationem invientur eo declarato: quod per dominos terrestres contractus et conventiones in futurum quidem etiam iniri possint, ita tamen, ut tales contractus non aliter quam coram testimonio comitatensi ineantur, et comitatui dein referantur, qua occasione peculiariter eo reflectatur, ne huiusmodi contractus modernam benignam regulationem quaqua ratione excedant. Instr. comissariorum regiorum §. 26. ad p. 3.

ART. VI.

De contractibus quoad reluitionem urbarialium praestationum coram legali testimonio qualiter ineundis.

Quia in genere circa contractus omnes vigore benignae urbarialis regulationis inter cetera et id statutum esset, ut huiusmodi contractus seu singillatim cum colonis, seu vero cum ipsis communitatibus per dominum terrestrem de reluitione robottarum, aliarumque praestationum urbaria-

lium ineundi pariter coram consueto comitatus testimonio fiant, ideo ex parte comitatuum idcirco per comisarios regios debite inviandorum, et instruendorum omnimode invigiletur, ne alia, quam praescriptum est, modalitate ejusmodi conventiones inter dominum terrestrem et subditum fiant, neve illae etiam, quae praevia ratione coram testimonio comitatus factae sunt, justam proportionem, modernamque regulationem urbarialem quoquomodo excedant; ad conventiones porro ineundas ipsi subditi nulla vi nulloque metu adigantur, aut severioribus, fucatisque pollicitationibus persuadeantur, verum a libero ipsorummet arbitrio dependeat vel convenire, si in hanc conventionem dominium terrestrale accesserit, vel vero potius benignae regulationi urbariali inhaerere, ac hac mediante tractari. Instr. comissariorum regiorum §. 26. ad p. 3.

Omnes contractus robottarum reluitionales fiant in praesentia comitatensis testimonii, item super urbarialibus praestationibus conficiendi. Urbar. p. 3. §. 11. justam attamen proportionem, et benignam urbarialem regulationem nullatenus excedentes, atque huius regulationis praescripto impositis obligationibus colono neutiquam onerosiores. — Idem obtinet in Banatu. Urb. cap. 4. §. 6.

Principio illo, ne contractuale tractamentum urbariali gravius sit, tam ad communitates in concreto, quam et colonos in individuo, seu contractus ad unum, seu ad plures annos concludantur, in omni casu aequaliter extenso.

ART. VII.

De urbarialium praestationum et robottarum reluitione in paratum aes reducta.

Urbarialium cunctarum praestationum et servitutum unius integrae sessionis colonicalis, et sic a proportione obtingentia juxta urbarium elaborata, quantum quippe titulo earundem ad paratam reductarum efferat; ex tabella isthic adnexa ad specificum patet; siquidem vero in redemptione nonae cum 4 florenis specificatae, jam etiam obtingentia ex canabibus et lino praestari solita comprehenderetur, eaque de causa vigore instructionis exeq. mag. cap. V. §. 13., atque intimati Consilii regii locumtenentialis sub 9. aprilis 1776. nro. 1929. expediti, coloni nonam in aequivalenti dependentes, a praestanda filatura immunitarentur; hinc filatura pro una sessione secus cum 54 xr. calculari solita ex calculo penitus est exmissa.

NB. De robottarum reluitione jam articulus 48. anni 1655. agit, et de tractamento inquilinorum sonat articulus 38. anni 1548.

Provocata tabella.

Sessiones colonicales.

Nomenclatio datiarum, et robottarum.	4/4	3/4	2/4	1/4	1/8
	fl. xr.	fl. xr.	fl. xr.	fl. xr.	fl. xr.
Annue					
Jugales a 20 xr.					
52. vel 104. manuales	17. 20	— —	— —	— —	— —
Manules a 10 xr.					
39. vel 78. manuales	— —	13 —	— —	— —	— —
26. vel 52. manuales	— —	— —	8. 40	— —	— —
13. vel 26. manuales	— —	— —	— —	4. 20	— —
6½ vel 13. manuales	— —	— —	— —	— —	2. 10
Aequivalens nonae	4 —	3 —	2 —	1 —	— 30
Vectura lignorum, unam orgiam 4/4 sess.	— 40	— 30	— 20	— 10	— 5
Vectura longa 4 coloni integri a 2 fl. 40 xr.	— 40	— 30	— 20	— 10	— 5
Praestationes culinarium.					
una media butiri a 21 xr.					
2 capones a 9 xr. 18 -					
2 pulli a 3 xr. - 6 -					
12 ova - - - - 3 -					
rata vituli - - - 3 -	— 51	— 38¼	— 25¼	— 12¾	— 6⅜
Summa	23. 31	17. 38¼	11. 45½	5. 52¾	2. 56⅜
Adhaec census dominalis absque discrimine	1 —	1 —	1 —	1 —	1 —
Insimul) addendo)	24. 31	18. 38¼	12. 45½	6. 52¾	3. 56⅜

Domiciliatus inquilinus (ein behaußter Inwohner)
in censu domali 1 fl.
18 manuales a 10 xr. 3 —
in toto 4 fl.

Non domiciliatus
12 manuales — 2 fl.

Census ab olla crematoria est 2 fl.

ART. VIII.

De contractibus super regalibus beneficiis dominalibus.

Exarendationes regalium, aliorumque beneficiorum dominalium, et super his, ceterisque ad urbarium haud influentibus inter colonos, et dominum terrestrem cum libertate ineundi contractus absque etiam testimonio comitatus licite semper, valideque iniri poterunt. Instr. comissariorum regiorum §. 26. ad p. 3. circa finem.

Praesentia enim dicti testimonii ad contractus similes, aut exarendationes super proventibus his colonis aut communitatibus factis, juxta urbarii p. 3. §. 11. non est necessaria, idem obtinet in Banatu cap. 4. §. 6. Regalia enim et dominalia beneficia spectant ad evictam jurium dominalium proprietatem, quae instituto, et dispositioni urbariali non includitur.

ART. IX.

De combinatorio instrumento, si contractus in vicem urbarii ineantur, efformando; non tamen sint illo onerosiores.

Si quopiam in loco in vicem urbarialis regulationis, dominum terrestrem, et colonos seu communitates subditorum inter, contractus initus extiterit, inomisse semper investigetur, an ante introductam urbarialem regulationem qnaepiam conventiones aut contractus extiterint, ac si et in quantum praefuissent, etiam tales priorum temporum conventiones in combinationem assummantur, an subditi per eas paulo liberius habiti non fuerint, ad-

eoque hunc in casum praevie si quae fuerunt, conventiones exhibeantur, ac ubi contractus praesente testimonio comitatensi conclusi, subin vero in sedria revisi, ac pro talibus facta praevie omnimoda combinatione per eandem sedriam adinventi fuerint, quod urbarialis regulationis praescripto impositis obligationibus neutiquam onerosiores sint, via Consilii regii locumtenentialis tam iste contractus, quam in finem capiendi uberioris luminis etiam praeviae conventiones in authenticis paribus repraesententur, una cum combinatorio instrumento per ipsam sedriam elaborando. Instr. comissariorum regiorum §. 26. ad p. 3. in fine.

Comissarii regii magistratuales comitatenses omnes eo invient, instruant, et moneant, ut hi, qui singuli, et totius ineundi contractus actui interesse debent, parte ex sua quasvis contribuentium circumstantias debite advertentes curam et vigilantiam habeant, ne omnino per ineundum ejusmodi contractum, et notanter parati aeris solutionem status eorum nimium, atque cum praejudicio publici gravetur, computusque seu combinatio dum instituitur, calculi errores praecaveantur; ad praecavenda porro haec aggravia, priusquam hic vel ille contractus ineatur, et concludatur, ipsi magistratuales pro testimonio adhibiti recurrant ad acta urbarialia concernenti loco extradita, combinentque qua fieri poterit, accuratiori bilance, obligationes subditis juxta urbarium incumbentes cum obligationibus illis, quae contractualiter praestandae forent, ad quod ipsum

et sedria, accurata attentione pro omni casu reflectat. Ibid. §. 26. p. 5.

ART. X.

De essentialibus requisitis, modalitate, et forma contractuum ineundorum.

In conficiendis contractibus observandum erit sollicita cum attentione, hocque in passu magistratuales comitatenses per comissarios regios debite instruantur, ut singula obligationis et praestationis species distincto puncto clare omnino, et absque omni ambiguitate vel minimum dubium, aut quaestionem parere valente exprimatur cum sensu omnino, et intellectu perfecto. Item omnis obligationis, et praestationis species quoad obligatum contractualiter numerum, mensuram, tempus, et distantiam positiva cum determinatione peraeque clare ac ad captum, et intellectum contrahentium in contractu exponatur, et declaretur. Nihil praeterea eorum, quae nomine generalium prohibitorum veniunt, in contractum inseratur.

In omni denique contractu, seu perpetuo, seu temporali, seu per communitates in concreto seu per aliquos subditos in individuo inito, in ultimo speciali puncto per expressum id clare inseratur, quod praeter in praedenotatis specificis punctis clare et expresse contenta, nihil prorsus aliud ab iisdem ex parte dominiorum qualicunque sub titulo et praetextu exigetur, et praetendetur, iidemque dare, vel praestare obligabuntur. Contractus vero nomine communitatum secus iniri

nequeant, quam audita idcirco, et consentiente tota communitate. Et denique omnes contractus expediantur et concinnentur lingua contrahentibus subditis nota, ac illi, qui nomine communitatis ineuntur, roborentur sigillo communitatis, et subscribantur per judicem et primores loci, per nonnullos vero ex communitate initi, per ipsos contrahentes parte ex una, parte vero ex alia per terrestrale dominium coramisatione comitatensis pro testimonio adhibiti roborandi, super eo quoque recognitionem facturi, quod hic vel ille locus sigillo caruerit, aut pro casu ignorantiae scripturae judicis, et primorum, pro subscriptione manus aliena adhibita fuerit, crucem tamen ipse judex et primores pro robore subscriptionis propriae et sigilli formaverint. Instruct. commissariorum regiorum §. 26. p. 4.

ART. XI.

De publicatione stabilitorum contractuum et privilegiorum.

In locis, quae juxta benignas successivas resolutiones caesareo regias pro privilegialibus, aut contractualibus stabilientur, contractus et privilegia sub authentico per comitatus expedienda, modalitate praescripta publicabunt, et introducent. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 32.

ART. XII.

De contractibus perpetuis tam antiquis temporibus initis, quam nunc iniri solitis in specie.

Principium illud, quod obtutu jurium dominalium, vel ipsius etiam subditelae emolumenti, in quantum de tractamento colonorum defigendo agitur, non expediat, ut contractus urbariales mutuo partium consensu in perpetuum iniri possint, nec cum juribus dominorum terrestrium, et eorum proprietate, nec cum exoptabili, illo urbarii scopo, ut nimirum sors et conditio colonorum ad certum, eumque stabilem ponatur pedem, conciliatur, sed et fundato altissimarum decisionum in re urbariali interventarum spiritui disertim derogare videtur. Quod autem contractus illi, qui seu occasione urbarialis regulationis, aut in nexu hujus subseque via politica, accedente altissima resolutione regia procurati fuissent, viá juris rescindi, vel invalidari possint, principium tale periculo non vacat, et quidem quod ratione contractuum jam hactenus pro stabili initorum, et actu praevigentium apertam securitatem in se involvat, taliterque in locum introducendi recti ordinis, et conservandae perquam necessariae internae tranquillitatis eo potius directum esse intenderetur, ut quae nunc in respectu nexus subditelae, et mutuarum correlationum altissima providentia optimo cum successu procurata ordinatio subsistit, haec in in convulsionem defixi systematis agatur; tum quod hac ratione autoritas supremae executivae potestatis, sub cujus directione

similes contractus pari ratione, prout ipsum urbarium, valide coaluerunt, arbitrio et reformationi judicum in via juris exponeretur, cum etiam quod invalidatione hac, ordine, et processu juris pertentari concessa, sors et conditio locorum contractualium, ad quae ordinarie, velut maxime populosa in respectu publicorum onerum eisdem incumbentium praeferenter publici providentia extendi debet, dubia, et incerta redderetur, id autem convulsioni rerum publico damnosae facile occasionem praebere, quin et id generare posset, ut communitates per urbarialem regulationem reflexe ad statum ante urbarialem gravatae parem fine obtinendae medelae praetensionem faciant.

Decipiuntur et illi, qui illos tantum perpetuos contractus pro praeterito stabiliendos censent, qui cum plena partium libertate initi sunt, notum enim est, in quibusvis similibus contractibus penes directivas regulas antehac praeexistentes, plenae libertati locum relictum non fuisse, ubi enim ante regulationem contractus jam praevigebant, et status colonorum continuo contractualis fuerat, ibi ex sensu altissimarum decisionum modificatis modificandis contractus pro stabili norma deserviturus et incundus, et respective acceptandus praecipiebatur; cum proinde in similibus plena libertas non adfuerit, ratio nihilominus et conservationis et securitatis colonorum, simul et autoritas altissimarum decisionum et resolutionum regiarum deposcat, ut tales non obstante dominii in contrarium remonstratione tamen initi, subscripti, ac subin usu roborati, porro etiam conserventur.

Ubi vero jam modernis temporibus contractus

perpetui urbariales ineuntur, horum alioquin essentiale requisitum est, ut in conclusione eorum omnis coactionis species devitetur, qui spontaneo utriusque partis consensu concluduntur, quive clausula perpetuitatis ex voluntate partium providendi altissimam ratificationem obtinuerint, pro inalterabilibus censendi sunt.

Contractus etiam perpetui natura et indole eorundem circumstantiis ita exigentibus positionum mutationem admittunt.

In causa urbariali oppidi Baja nro. aul, 6209. 1800. Tametsi res oppidanorum juxta contractum 1750. ita comparata fuerit, ut ille ipse contractus pro perpetuo reputari valeret, quia tamen ob mutatam per impopulata medio tempore praedia oppido incorporata, rerum faciem, nec modus eundem contractum in sua integritate retinendi suppeteret, hinc oppido ad colonicales servitutes cogi nequeunte, contractum anni 1767. qui alias perpetuus est, quoad nonnullas positiones benignis ideis minus accomodum, per ineundum novum libero utriusque partis cum interventu etiam magistratus comitatensis, consensu ita stabiliendum esse, ut exinde exmissis exmittendis rectificanda rectificentur. Cujus tamen vel similis objecti decisio semper ab altissima resolutione dependet.

Communitas oppidi Mako in Csanadiensi comitatu, habuit peraeque contractum perpetuum, mutatis circumstantiis ad terminum 15 annorum reductum et extensum; nro. aul. 4958. 1802. — 8634. 1804.

Etsi nullum vestigium adsit, quo perennalitas contractus alicujus inter partes initi probari, aut

deduci possit, ad quaestionem tamen hanc, an communitas, etsi contractu perenni haud provisa, nunquam vero urbarialiter tractata urbarialibus servitutibus subjici possit, decidendam, non esse necessarium, ut instrumenta et probae contractus perennalitatis adducantur; siquidem ratio tractamenti contractualis, quae aetatem hominis existentiae, et vitae attigit, exclusam in eodem etiam defixae perennalitatis mentionem tacite quadamtenus involvere videatur, adeo, ut talis defectus, quo magis conditionum a circumstantiis dependentium, quam ipsius contractualis usus perpetuitatem vitari voluisse praesupponitur, normam contractualis tractamenti nullatenus evertere; et urbarialem regulationem huic substituere queat.

ART. XIII.

De arendatitiis particularium incolarum contractibus.

Particularium incolarum arendatitiae conventiones, aut contractus urbariales in sedria quidem revideantur, comperto tamen eo, quod non sint aggravati, Consilio regio locumtenentiali non submittantur, occasione nihilominus annuae investigationis urbariorum magistratuales, tales particulares quoque contractus operi investigationis in specie adnectere teneantur, quo adminus tunc cognosci possit, an contrahens colonus per ejusmodi contractum justo plus non gravetur. Hoc vero hic observetur, quod conventiones et contractus tales, qui inter aliquem dominum terrestrem, paucos e. g. 3—4 vel 5 subditos habentem

ab una, et hos paucos colonos partibus ab altera ineuntur, sub sensum praemissum non cadant eo, quod talismodi pauci coloni etiam separatam quasi respectu domini sui terrestris communitatem efficiant, adeoque istiusmodi contractus, praevia eorum in sedria comitatus revisione, Consilio regio locumtenentiali omnino submitti debeant. Inst. comiss. regiorum §. 27.

ART. XIV.

An coloni semper contractualiter tractati urbario subjici possint?

An communitas quaecunque impopulationali, aut perennali quidem contractu destituta, sed a tempore introducti urbarii vigore contractuum de tempore in tempus initorum, et renovatorum urbariales praestationes constanter parata redimens, cum effluxu stipulatorum annorum, exposcentibus ita dominii vel ipsius communitatis adjunctis, tractamento urbariali, id est praestationibus urbarialibus, in natura explendis subjici valeat?

Quaestio haec quae in merito attentionem meretur, positiva benigna resolutione regia aliqua generali normativa non est definita, particulares majoris momenti casus urbariales, ansam dederunt particularibus resolutionibus, quarum relate ad differentiam decisionis, etsi continuo spiritus idem fuerit, conservatio utpote classis contribuentium citra praejudicium jurium dominalium, attamen normam generalem eatenus defigendam a libratione localium circumstantiarum dependere; istudque principium jam occasione introductionis

urbarialis pro basi assumptum fuisse patet ex ipsa instructione comissariorum regiorum §. 26.

Qui pro affirmativa decisionis quaestionis hujus pugnant, has adducere causas videntur. Vigore antiquissimarum patriae legum, signanter Uladislai decr. VII. art. 15. 17. 19. item 1548. art. 36. 37. — 1553. art. 11. rusticus explendis in natura domino suo terrestri debitis praestationibus, ac certis servitutibus subjectus est. Ex his datiis, et servitutibus universali regni et saeculorum usu roboratis, subinde ad certam normam, et mensuram redactis enata esse urbaria, basim correlationum inter dominum, et urbarialem subditum determinantia, provisionemque de urbariis rite observandis, articulis quoque 18. 1723. — et 35. 1729. factam fuisse, quibus novellares quoque leges articulorum utpote 12. 1792. — 6. 1802. — 3, 1805. et 1807. sanctiones superaddendae veniunt; in quibus omnibus nulla prorsus contractuum urbarialium mentio occurrit; spectato proinde eo, quod dominus terrestris vi legalis aquisitionis, et donationis regiae, nec non sensu titulorum 9. partis I. — 30. et 36. partis III. legitimus terrae suae proprietarius sit, et introducta etiam nova urbarialis regulatio eundem in justis juribus suis liberum ac immunem conservatum velit, cum porro subditus e mente tituli 30. partis III. aliarumque legum nullum jus perpetuitatis in terris domini sui habeat, et per urbarium is contra excessus, atque abusus sartus, tectusque habeatur, clarum esse, quod ubi hactenus contractus temporanei viguerunt, nec dominus ad

continuandum tractamentum contractuale perpetuum cogi, nec subditus ab explendis in natura praestationibus suis urbario praescriptis eximi valeat.

Qui contrariam fovent sententiam, atque tales, qui continuo contractibus, quamvis duntaxat temporaneis provisi fuerant, urbario subjici non posse, argumenta sua jam ab introducti urbarii epocha repetunt. Quod oppida, et majores regni possessiones, in quibus plurimum opificia, et manufacturae vigent, jam illo tempore, urbariali regulationi subjici vetabantur, idque partim ob commercium cui dediti erant, partim ob industriam manufactorum, adeo, ut urbarialibus praestationibus citra gravem sui ruinam in natura explendis subjici nequivissent, in instructione comissariorum regiorum §. 26. eatenus stabiliendae idmodi incolorum contractuali conditioni prospectum fuisse. Porro continua praxis benignis resolutionibus regiis roborata, et continuo conformium decisionum usu munita uberius docet, incolas seu oppidorum, seu possessionum nunquam urbarialiter tractatos, etsi perpetuis contractibus destituantur, temporaneis duntaxat provisi, occasione erecti ad regulationem urbarialem processus, continuo eosdem in urbariali tractamento, altioribus locis etiam stabilitos fuisse, relate autem ad articulos superius in contrarium attactos id responderi possit, eosdem nihil in rem opitulari, eo minus quidem, cum ex jure proprietatis in similibus casibus nunquam procederetur.

Benignae autem resolutiones, intuitu hujus

quaestionis cum stabilitione contractuum decisae, sunt, et quidem.

1. Ex actis urbarialibus regulationis comitatus Bihar nro. 6419. 1771. in specie relate ad oppidum kiss Maria patet, oppidum hoc nullius terrestris domini jurisdictioni subjectum, in conformitate opinionis Consilii regii locumtenentialis, urbariali regulationi subjici haud potuisse.

NB. Gabriel Bocskay, qua princeps Transylvaniae oppidum hoc, qua locum natalis soli, et plurimorum gentilitiorum suorum peculiari prorsus privilegio exornavit, idem ab omni jurisdictione dominii terrestralis eximendo, et inter cetera attribuendo, deficiens, si nullam fecerit testamentariam dispositionem, ipsius bona non in fiscum regium, sed universam communitatem devolvantur, nobiles in gremio degentes, non obstante eorum praerogativa, universa onera communitatis, et dispositionibus obtemperare teneantur etc. Oppido hoc tempore commissionis neo aquisticae evocato, fiscus regius jus regium sibi adjudicari postulavit; interim quemadmodum Tabula regia communitatem fati oppidi, ab ulteriori fisci impetitione absolvit, ita etiam Carolus VI. imperator et rex sententiam hanc approbavit.

2. Possessio Sz. Lörincz, fundamento praeexistentis ab immemoriali contractualis tractamenti, tali ratione tractanda esse censebatur, Nro. 9182. 1794.

5. Oppidum Nyirbáthor, et possessio Gyulay ad comites Károlyi spectans contractualiter tractari

demandabatur nro. 9078. 1796. et nro. 10164. 1807.

3. Patajenses nro. 4465. 1809.

4. Sculteti ad dominium Arva spectantes, utpote Vaszilovienses, Zubrolavenses, Polhorenses, Rabesin, Loczke, Lieszek, Zaskov, C. Hlebnicze, Dehenses item, Bribis, Chliv, Knyazsa, et Pokrivaszenses anno 1811. Generatim scultetorum in Hungaria tractamentum b. regulatione theresiana magnam subiisse mutationem comperitur; mansus, et laneus sunt nomina, quae antiquis denotabant possessoria scultetorum tam intra, quam extravillana. Mansi autem et lanei liberi erant, speciem feudi scultetici constituentes. Laneus, et mansus olim in Polonia debuit habere in longitudine 30. jugera, in latitudine unum jugerum (Morg.) jugerum unum tres zonas, zona 10. virgas, quaelibet virga $7\frac{1}{2}$ ulnas. Juxta alios laneus tenebat 12. virgas, et quaelibet virgarum 16. ulnas et unam palmam etc. In comitatu Beregh sculteti Nagy-Lucskenses dominio Munkáts obligati, (tabellarii, alias szabados) sic et sculteti Lublyovienses, etc. deportationi literarum dominalium, et certis praestationibus obstringuntur. V. De scultetiis Mart. Schwartner.

5. Oppidum Mako in comitatu de Csanad; et oppidum Sárós in comitatu ejusdem nominis.

6. Decem loca dominii Derecske in comitatu Bihar nro. 759. 1811. (1299. anno 1783.)

7. Lechniczenses in comitatu Scepusiensi.

8. Nagy baromienses (Groß Warcsdorf) in comitatu Sopron. nro. 8570. 1811. ope cujus dominium ad tractamentum contractuale inviatum est;

eo in b. resolutione regia ad nrum. 13472. 1816. per expressum addito, ut in casum, quo desiderata conventio mutuis pactis obtineri nequiret, (dominium enim terrestrale via novi processit) attunc comitatus in spiritu praeexistentium b. resolutionum pro incumbente sibi officio normativum tractamenti subditelae, conformiter dispositionibus regiis, habitá etiam localium adjunctorum reflexione conscientiose solito modo, et forma elaboret, altioribus locis substernendum.

9. Németh-Ujvarienses in comitatu Castriferrei nro. 5832. 5833. 8010. 1812.

10. Tüskévar oppidum in comitatu Veszprém, contractu impopulationali 1658. ab episcopo jaurinensi Georgio condam Széchényi provisum, contractualiter tractabatur. Anno 1807. agitatus processus ad urbarialem regulationem, sed contractus est stabilitus. Sunt autem in hoc oppido 17. integrae sessiones, inquilini 82. oeconomi extra 50. domibus provisi. Dominio exiguam allodiaturam habente.

11. In processu urbariali ad sublationem contractus anno 1758. inter dominium Jászo, et incolas oppidi Metzenzéff initi, in comitatu Abaujvar, iidem oppidani in praeexercito tractamento contractuali porro quoque relicti sunt.

12. Communitas oppidi Krapina in comitatu Varasd, privilegiis per plures reges eidem collatis, nec non juribus, et praerogativis provisa, has inter activitate quoque in causarum processibus eam in concreto concernentibus contra quosvis regni nobiles procedendi gaudet, atque ex ju-

re radicali ad revindicationem fundorum a se avulsorum, sublationem item beneficiorum territorialium coram Tabula banali causam 1815. promovit altissimo loco etiam stabilitam nro. 11918, 1816.

13. Sedecim possessiones comitatus Szabolcs licet nec contractus perennales habuerint, nec illocationales, solum ex eo, quod antea penes contractus semper tractatae fuissent, in tractamento eodem stabilitae sunt. Nro. 4666. 1775.

14. Regulatio conformis dominii Högyész nro. 42. 1767.

15. Oppidum Nagy Kállo nro. 3081. 1780. et nro. 129. 6530. anni 1783.

16. Dominium Csáktornya in comitatu Szaladiensi nris 274. 1769. et 3972. 1771. ad quod vastissimum in regno dominium sex oppida celebriora, utpote Perlak, Strido, Kottori, Legrad. Nedelitz, Csáktornya, etc, et prope 120. possessiones pertinent. Loca haec censualistica, et contractualia, testibus actis vetustioribus, antea Zrinyiano urbario provisa, post Kolonichianam, et Oszterhuberianam regulationem a camerali administratione ad dominium Marchionis de Prie devoluta, dein a possessorio comitum Althan ad excellentissimum comitem Georgium Festetits transderivata — sub hujus dominio obtinuerunt contractus elibertationales.

17. Oppidum Thúr in comitatu Hevess. Nro. 3374. 1779.

18. Possessio Nagy Bobrocz nro. 6562. anni 1771. in comitatu Lyptoviensi,

19. Oppidum Dobsnya in comitatu Gömör. Nro. 4524. 1773.

20. Oppidum Miskolcz, pro quo stabilis contractus ineundus jubebatur nro. 2662. anno 1782.

21. Quinque oppida, et possessiones dominii Munkács nro. 10808. 1794. — 4366. 1802. et nro. 3013. anno 1803.

22. Oppidum Siklos in comitatu Baranya.

23. Et oppidum Pataj in comitatu Pest. nris. 939. 1769. et 4465. 1809.

24. Oppida coronalia Mezö Kövesd, et Mezö. keresztes nro. $\frac{9852}{15184}$ 1813. et 2173. 1816.

25. Cameratica oppida contractibus sunt provisa. Sic oppidum Lugos in comitatu Krasso, quod 72. medias, 130. quartas, et 655. octavales sessiones, adhaec domos 1184. numerat; contractu provisum est ad 20. annos ab anno 1808. usque 1828. 1. novembris duraturo.

26. Sic oppidum Nagy Becskerek in comitatu Torontal habet contractum aeque ad annos 20. usque 1828. 1. novembris exclusive duraturum. Continet autem sessiones integras 64. — medias 476. et 389. quartales, nec non 374. domiciliatos inquilinos.

27. Possessio Akaszto in comitatu Pest, quae ab olim contractu impopulationali provisa, antea sub possessorio C. Kohary, nunc sub C. Illésházy, in processu ad urbarialem regulationem ex parte dominii terrestralis moto, in tractamento contractuali eidem porro quoque addicto relicta est. Nro. 6663. 1816.

28. Possessio Vörösvár, quae contractibus

annorum 1768. et 1771. quamvis non perennalibus provisa, in processu urbariali fisci dominii Vörösvar contra communitatem ad eandem urbario subjiciendam agitato, in usu contractualis tractamenti altissimo locó stabilita est. Nro. 9638. 1815.

Plura quoque exempla officiosae pertractationis, decidendae huic quaestioni subservire possent, a quibus tamen tuto isthic jam praescindi potest, eo magis, cum objectum ejusdem quaestionis ita clarum sit, ut uberioris probae vix amplius necessitas subesse videatur. Spiritus benigni urbarii exigit stabilitatem defixae colonorum conditionis, cursus autem adjunctorum, accedente industria ita comparatus est, ut possessiones, quarum initia admodum exigua fuere, in classem, et numerum oppidorum, haec autem subinde, prout experientia docet, crescente et populatione, et intensioris industriae stimulo, penes abundantem subsistentiae mediorum provisionem, in liberas, regiasque civitates elevata fuerint. Contractuale proinde majorum possessionum, aut oppidanorum tractamentum, in urbarialem status conditionem transmutare, tantundem foret, ac sortem incolarum alicujus loci, qui eminentiorem jam et industriae, et subsistentiae gradum consecutus est, periculo amissionis labore, et sudore procuratorum beneficiorum exponere; processit ex hoc principio jam occasione introductae urbarialis regulationis administratio publica; et generatim loca contractibus provisa, pro ratione localium adjunctorum, in usu contractuali admodum provide

reliquerat. Necessitatem ejusdem principii ipsa dominia terrestralia perbene jam antiquioribus temporibus agnoverunt, hocque pacto generatim in Hungaria factum est, ut talia loca, porro quoque contractualiter tractanda disposuerint. Cujus meriti ratio ut uberius patescat, juvabit praeter, et ultra haec, sequentia adhuc commemorare.

Nro. aul. 3909. 1771. Ex urbariali regulatione comitatus Trenchin.

Oppidum Rajecz habet contractum Turzojanum, — oppidum Bitse nullum; — oppidani Kisz ucza Ujhelyienses provisi contractu anni 1604. Oppidum Predmér contractu anni 1648. — Oppidum Solna privilegiis et contractu anno 1691 emanato, eoque perennali provisum est, quo praeter pecuniarium censum nullos labores praestat, et in privilegialium beneficiorum usu stabilitur.

Oppidum Varin contractum a Palatino Vesselényi de anno 1666. habet, et decisionem curialem.

Oppidum Lednicze nullum contractum, sed se libere migrationis declarant; prout oppidum Pucho.

Oppidum Illava contractum de anno 1685. prout et Bellus.

Dominium Beczko nullum.

Oppidum Baan Illésházianum contractum de 1633. et privilegiorum transumpta.

Possessio Nemes Podhragy: Cum possessio haec nobilitaris pro loco curiali habita prope 4 saecula in praerogativa curialis constitutivi consistat, et mediantibus collationibus regiis con-

stanter pro curiali loco agnita sit, indeque inferatur, nullos hic loci praeexistere colonos, verum totam possessionem ad statum inquilinorum domiciliatorum reduci debere, eam a parte dominii interpositam fuisse cautelam, quod titulo appertinentiarum indictatos agros domini terrestres non recognoscant, secus postfunduales, nisi ex gratia dominorum pro meliori subsistentia colonorum collatos; et a beneplacito dominii dependentes.

Possessiones nobilitares in comitatu annotantur sequentes: Zarjecz, Keblov, Hradna, Ovcsarszko — Luky, felsö Vadicso, Szulov, Klobucsicz, Rozon Neporacz, Nemes Kocsocz, Szedlicsna, et Kiss Zsambokreth.

Oppidum Sziget in comitatu Sümeghiensi, condam Jacobo baroni de Neffczern Camerae regiae hungarico aulicae consiliario 1749 collatum (nunc juris nobilium Festetits) juxta conscriptionem cameralem anno 1747. domibus 364. provisum, in redemptionem cujusvis generis dominio alias obvenientium datiarum, fineque ulterius sui in usu privilegiorum suorum, utpote educillationis tempore, trium per annum nundinarum . per tres consequenter dies continuandae permansionis, titulo census dominalis summam 400 fl. tunc solvit.

Communitates in comitatu Pestiensi ad principem Grassalkovics spectantes, contractuali tractamento provisae, et quidem possessio Csik-Tarcsa penes contractum urbarialem anni 1774. secundam institutam ante paucos annos terreni sui remensurationem possidet in agris jugera 1665. in pratis vero jugera 203; sessiones sunt 27. Communi-

tas Kerepes contractu anno 1774 provisa, cujus constitutivum sessiones 34¼ efficit; (integralissae sunt 13, medialistae 31 — quartalistae 18 — inquilini domiciliati 12 — subinquilini tres) habet in terris, et pratis jugera 2394; ex quibus supputatis pro constitutivo sessionum 34¼, jugeribus 1197, aliis item 147. jugeribus per inquilinos erga robottam possessis, prodire supernatantiam colonis utilem, qui insuper gratuitam quoque in sylvis dominalibus graminis falcaturam habent.

In urbariali possessione Dunakesz 115 colonos sessionales numerante, nulla hactenus regulatio facta est, verum totum terrenum usibus communitatis relictum est, teste conscriptione anni 1795 jam eotum fuerunt sessiones urbariales 43. ultra quas coloni et de praesenti jugera 255 beneficio contractus possident; super parte praedii Alagh 24. aprilis 1813. ad 6 annos.

Dany possessionis communitas favorabiles etiam habet contractus urbariales, sunt integrae sessionis coloni 15 — trium quartarum 6 — medialistae 44. Quartalistae 48. Inquilini 30. — Subinquilini 10. contractu anni 1770. 30 sept. provisi.

Contractualis possessio Bagh contractu anno 1814. 6. aprilis provisa habet integras sessiones 14. — medias 53. — quartas 42. — inquilinos 45. subinquilinos duos.

Contractualis possessio Kartal habet colonos sessionales partim integrae, partim mediae sessionis 45. — inquilinos 20. — sub-inquilinos 20. contractu anno 1802. 14. februar inito

Tatár Szent György communitas contractu populationali anno 1784. die 1. januar provisa.

Uj Hartyanienses de anno 1808. 1. jan. Neo impopulatae possessionis Vecsés coloni contractu impopulationali de 1786. 15. juni provisi.

Oppidum Soroksár constituit sessiones 70 — in quibus 103 coloni numerantur, habet praeterea inquilinos 259. subinquilinos 80. — taxalistas 91. et duos arendatores.

NB. Taxalistarum singulus solvit taxam domalem una cum censu a fl. 10.

Ollae crematoriae nullae sunt, longa vectura equis oppidanis, quos communitas servat, superatur; beneficia regalia, et praedialia, nec non terras remanentiales possident in arenda iidem oppidani. etc. etc.

In reliquo id benigna positiva resolutione regia nro. aul. 2173. anno 1816. sancitum est, ut quaestio tractamenti contractualis a revisione sedriae altioribus locis, et decisioni altissimae substerni debeat.

Cum in praemissis mentio facta sit etiam contractuum impopulationalium, notandum est, contractus impopulationales, qui cum neo colonistis ad impopulanda praedia, vel deserta etc. evocatis, peculiaribus ceteroquin cum favoribus iniri solent, praecipuum constituere in causis urbarialibus instrumentum, atque una etiam pro justo et aequo essentialem obtinere dominiorum terrestralium protectionem, cuius sustentandae causa, exigente casu, e parte administrationis publicae semper optimae dispositiones factae sunt.

CAPUT VII.

De justitia colonis administranda, et processibus urbarialibus.

DECISIO CURIALIS.

De poena saevientium in colonos juxta decisionem curialem, et de profugis colonis amplius non redeuntibus.

Comperto eo, quod dominus terrestris in subditos saevierit, illos oppresserit, ab iisdem sub variis praetextibus illegales praetensiones extorserit, quin imo citra viam juris fundos illorum ademerit, idem dominus terrestris non tantum ad quantumvis illegalium extorsionum, damnorum item et injuriarum compensationem, fructuum medio tempore abinde perceptorum restitutionem, sed etiam praeterea, si colonum suum sine legitima causa verberari curet, vel modum et mensuram in verberando excedat, eiusmodi verbera seu detrimentum corporis mulcta pecuniaria juxta prudens judicis arbitrium imponenda compensare tenetur, porro si ob saevitiem domini terrestris, aut propter excessus ejusdem contra urbarium comissos coloni profugiant, in tali casu idem dominus terrestris in homagio singuli profugi coloni fr. 40 convinci solet, circa facultates vero talium colonorum, si colonus profugus amplius non redeat, vel semet non insinuet, haec norma observari debet, ut primum et ante omnia ex illis restantiae contributionales deducantur, substantia autem abinde resultans in publicum

loci illius, ex quo coloni profugerunt, alleviamen convertatur, demum expensae etiam processuales in talismodi magistratualem causam erogandae dominio terrestri supportandae incumbunt, cum enim reipublicae intersit, ut fundus contributionalis tanquam ad sublevandas publicas necessitates destinatus, omni meliore modo conservetur, hinc utique justum est, ut in talem qui data opera, et illegalibus modis diminutionem illius procurat, pro exemplo quoque aliorum severe animadvertatur. U. T. 1768. fisci zagrabiensis c. B. Pau. Rauch.

Majores autem gradus saevitiei majores exigunt poenas, provisione articuli 14. 1514. id ipsum exigente.

ART. 1.

De ordine, et assistentia fisci magistratualis querulantibus colonis resoluta.

Dominali jurisdictione legibus patriis in sustentationem jurium terrestralium, et ipsius etiam subditelae beneficiorum, ac emolumentorum conditionis certitudinem provide jam praestabilita, prout dominus terrestris in respectu subditorum suorum forum 1. instantiae constituit, ita recto ordini omnino consentaneum est, ut querimonia urbarialis primum et ante omnia concernenti domino terrestri pro medela et procuranda complanatione proponatur, haec per eundem primo quo fieri poterit tempore, praemissa rei cognitione, seu per accomodationem, seu hac non succedente, per scriptum querulanti colono extradari solitum decisum superetur, si hac deci-

sione querulans contentus non sit, magistratualem personam huic receptum decisum exhibiturus accedet, quae dein rem comitatui finem in illum referendam habet, ut abinde negotium penes fiscalem assistentiam in sede dominali suo ordine pertractandum inviari possit. Felix institutionis urbarialis resultatum illud, quod stabilis, certaque inter dominum terrestrem et eiusdem subditum, obtutu tractamenti qualitatis norma defixa, tam lege quam et resolutionibus regiis roborata, et sancita sit, nulli amplius arbitrariae agendi rationi locum relinquit. Tutus est omni ex parte contribuens, defixaque administrandae colonis justitiae regula, cuius scopo omnes b. dispositiones regiae subserviunt. Fiscali assistentia prout in activis, ita etiam passivis suis causis coloni semper providendi sunt, ut ex parte eorum, quae ad rem pertinent, omni cum fundamento in processum inseri valeant. Jam anno 1405. decr. III. art. 10. in comitiis regni sancitum est, ut colonis justitiam administrent in prima instantia domini terrestres, in casum, quo iidem domini semet negligentes, aut morosos exhiberent, attunc magistratuales ad id obligentur sub amissione honoris sui, et indignatione regia. — Art. 101. 1715. manutentione miserae plebis ad praecavendam ejusdem oppressionem, magistratibus comitatus incumbente (vide art. 18. 1723.) quomodo autem et qua via autoritas illa magistratualis adversus plebis oppressores exercenda sit, articulus 35. 1729. perhibet; nempe causas adversus dominos terre-

stres urbaria excedentes erigendas, ad sedrias pertinere.

Una vero sub gravi animadversione ac etiam ab officiis dictanda amotione, fiscis magistratualibus, quibus provincia assistentiae pro parte contribuentium ex officio delata est, supremo nomine regio comissum est, ut quemadmodum articulus 56. 1723. statueret, sed et plures instructiones disertis verbis praeciperent, comitatus officiales, ac signanter fiscales magistratuales domino terrestri semet quoquo modo obligare, et conventiones assummere sub instantanea officii amissione non audeant, officiaqne sua seposita omni interressentia probe ac debite, munerique publico convenienti exactitudine gerant, consequenter contribuentis plebis querimonias audire, et eidem iustitiam instantaneam administrare nulli intermittant. Radicatur jam in resolutione regia anno 1769. nro. aul. 283. emanata.

ART. 11.

De querimoniis sub, et ante urbarialem introductionem exhibitis.

Instructione comissariorum regiorum §. 25. praecipitur disponendum, supremoque jure regio injungendum, ut si subditorum querimoniae tales prodirent, quae transgressionem rite ac legitime confecti urbarii concernerent, eae non ad sedes dominales relegentur, neque per officiales comitatenses in privato decidantur, verum toties quoties juxta articulum 35. 1729. (et benignam resolutionem regiam de 10. octobris 1767. omnibus

comitatibus intimatam) in ipsa comitatus sedria praeferenter tamen assummantur; et quo celerius determinentur, si proinde istiusmodi querimoniarum intuitu ad comissarios regios supplicantes recurrent, modalitate praeattactae benignae dispositionis caesareo regiae cum indorsata hac ratione eorundem instantiae invientur.

Intuitu vero recursuum ante introductam urbarialem regulationem observabunt, ut tales querimoniae in sede dominali assummendae, et decidendae, ac in sedria demum suo modo et ordine revidendae disponantur. Ceterum ulterius etiam, quaeque in ordine ad colonorum instantias comissario regio exhibitas per eundem ordinata fuerint, ad processualem judicem nobilium invientur. Instantiis et desuper factis decisionibus per comissarium regium separato protocollo inserendis.

Instructio autem exeq. mag. cap. V. §. 30. circa finem haec habet:

Praeterea subditi eo instruantur, et invientur, ut seu communitates in concreto, sive hic vel ille particularis subditus per officiales dominales, aut servitores injuriarentur, pro obtinendo remedio et satisfactione recurrant ad concernentes dominos terrestres, veluti primam eorundem instantiam, pro casu vero ac ibidem medelam non obtinerent, recursum faciant ad magistratum comitatensem in eo jam debite instructum, ut exaudiantur ac pro justo, et aequo debita eisdem praebeatur satisfactio, quam cum utique obtenturi sint, propria autoritate nunquam agant.

ART. III.

De instantiis per subditos qualiter exhibendis, et per dominum terrestrem haud vindicandis.

Urbariales instantiae communitatum absque propria nominis localis judicis, et juratorum subscriptione, nec non adnexis decisis subalternarum jurisdictionum neque ad Cancellariam regiam hungarico aulicam, neque ad Consilium regium locumtenentiale unquam acceptantur, aut per agentes subditorum praesentari possunt. Circulare anni 1798. nro. 614. porro

Urbarium p. 9. §. 8. praecipit, ne recursus subditorum ad comitatus aut superiores instantias vindicentur.

Instructione autem comissariorum regiorum §. 25. iidem in generali congregatione in publico declarabunt, et disponent comissarii regii; ne subditi propter factum seu ad magistratuales comitatenses, seu ad comissarium regium, recursum quaqua ratione puniantur, arestentur, et quoquo modo damnificentur.

In instr. exeq. cap. V. §. 30. ad finem disponitur, ut domini terrestres, eorundemque officiales eo commoneantur, ne subditos sub quocunque demum praetextu a formandis recursibus praepediant, aut propter hos quoquo modo seu divexent, seu in persona, aut rebus eorundem quaqua ratione turbare, molestare, aut damnificare praesummant.

ART. IV.

De legalibus foris processuum, et instantiarum urbarialium, in specie, de sedibus dominalibus, et sedriis.

Legales instantiae, aut fora urbarialia sunt 1. Sedes dominalis. 2. Sedria concernentis comitatus. Superrevisoria autem dicasteria sunt. 3. Excelsum Consilium regium locumtenentiale. 4. Excelsa Cancellaria regia hungarico aulica; medio cuius una dispositiones, et resolutiones suae Majestatis sacratissimae expediuntur, et intimantur. Ex his videre est, sortem, et fortunas colonorum, et cum his junctam fundorum urbarialium stabilitatem tali cardine locari, quo in thesi meliorem nec ratio aequitatis, nec calculus administrationis publicae ullibi terrarum optare potest. Dominia terrestralia, id est domini terrestres, quibus jura et bona possessionaria adsunt, constituunt intuitu omnium querelarum, aut actionum urbarialium primam fori instantiam. Repraesentantium jura sunt eadem. Jurisdictio dominiorum terrestralium ab antiquissimis jam temporibus suam ducit originem; et in casu, quo dominus terrestris suo subdito vel querulanti, vel gravius laeso satisfactionem, et justitiam brevi manu non impendit, publica dispositio exigit, ut querelae tam particularium individuorum, quam et comunitatum in concreto, coram celebranda sede dominali, cui praeses unus, et ceteri assessores cum legali testimonio intersunt, sua forma et modo assummantur, et decidantur. Necessitatem legalis testimonii, judicis nobilium ut pote, et jurassoris respectivi co-

mitatus ideo subversari, ut partium studium, quod pro parte dominii terrestralis nefors praeeminere posset, penes assistentiam quoque fisci magistratualis colonis semel pro semper gratis resolvi solitam, quadamtenus reprimi, et momenta ferendae super objectis urbarialibus jam in primo foro sententiae liberius excuti et expendi possint. Alia longe in privilegiatis oppidis causarum stricte civilium, cum quibus urbariales confundi nequeunt, est procedendi ratio, et indoles: quod in sistendam differentiam hicce paucis attingere juvabit. In intimato Consilii regii locumtenentialis de dato 5. mart. 1790 — quoad publicam regni reique justitiariae administrationem ad universas regni jurisdictiones dimisso cetera inter stat. Privilegiatis oppidis illis, quae anno 1780. in usu fuerunt, causas suorum gremialium civiles per localem magistratum judicandi, et a quibus sententiae, per oppidanum magistratum latae, pro ratione vigentis usus, ac respective privilegiorum, partim ad dominii sui terrestralis sedem dominalem, partim ad concernentis comitatus sedem judiciariam via appellatae transmittebantur, ad illum, in quo anno 1780. fuerunt, gremialium suorum causas civiles judicandi usum repositis; praetitulatae dominationes vestrae, in quantum idmodi privilegiata oppida in gremio comitatus hujus inveniuntur, eadem super hoc edoceri, eoque inviari facient, quod ipsis juxta observatum antea usum judicatum exercere, et sententias per se ferendas, parte aliqua appellante, pro vigente prius usu, et recepto ante novam judiciorum regulatio-

nem more ad sedem dominalem, aut respective praetitulatarum dominationum vestrarum sedem judiciariam via appellatae transmittere a 1. may a. c. exinceps quoque integrum sit futurum.

Jam videndum, quid circa sedes dominales et sedrias benignae ordinationes regiae praescribant.

1. Si comissarii regii adverterent, nonnullos dominorum terrestrium in celebratione ordinatarum sedium dominalium morosos fore, pro eo talibus 14 dierum terminum pro effectiva dictae sedis celebratione ex officio praefigent, et si nec intra hoc tempus celebrandis ejusmodi sedibus dominalibus manus admoveretur, attunc celebrationem ejusmodi sedis dominalis ipsi ordinabunt. Instr. comiss. regiorum §. 25.

2. Cum ad sedes dominales praeter unum judicem nobilium, eidemque adjungendum jurassorem, qui ut legale testimonium semper adhiberi debent, rectus ordo alios magistratuales non admittat, ex eo, quod acta sedium dominalium pro superrevisione ad comitatum per testimonium legale referri consueverint, adeoque incumbat reliquis magistratualibus ab omnium sedium dominalium interessentia abstinere, ut superrevisioni ejusmodi negotiorum adesse, suoque munere defungi, ac in protegendis contribuentibus ad sensum legis, hoc in merito magistratui peculiarem vigilantiam imponentis, libere, quod justum et aequum adinvenerint, agere valeant, hinc haec quoque benigna dispositio regia comitatibus in prima generali congregatione recapituletur, huiusque

accurata observatio omnibus et singulis magistratualibus injungenda erit. Ibid. — Ratione sedium dominalium jam dudum ac statim sub initio inchoatae regulationis urbarialis eae supremo nomine via Consilii locumtenentialis publicatae sunt dispositiones; ut ad sedes dominales, magistratuales comitatuum praeter legale testimonium non adhibeantur, ea de causa, cum sedium dominalium decisa pro superrevisione ad sedrias in praesentiam videlicet magistratualium transmitti debeant, — primi autem fori judices superrevisioni de praescripto legis interesse nequeant, ne proinde in urbarialibus sedium dominalium processibus superrevidendis, sedriae necessariis comembris magistratualibus destituantur. Nro. aul. 274. anni 1769.

3. Judices nobilium pro legali testimonio in sedibus dominalibus praesentes, universos in iisdem definitos in re urbariali processus, seu hi appellati, seu non appellati extiterint, in manus suas cum cohaerentibus universis actis in ipso originali recipiant, et in primitus celebranda sedria referant, qui processus in eadem sedria praeferenter omnino assummantur, determinentur, et tam in sedibus dominalibus, quam etiam sedriis pro promovendis, et defendendis causis subditorum advocati admittantur, in hisque nulla ratione precipitentur. Instr. comissar. reg.

4. Omne objectum, aut processus urbarialis majoris substrati, suscitatur ad normam juridicarum causarum penes concernentem sedem dominalem, praesente articulari testimonio, et assignata colonis assistentia fisci magistratualis gratuita.

Processus isthic revisus, medio legalis testimonii venit ad revisionem sedriae concernentis comitatus, abhinc pro ratione et indole objecti ad Consilium regium locumtenentiale, et si necessitas adjunctorum exigat, etiam ad Cancellariam regiam hungarico aulicam. In instructione comissariorum regiorum praescriptum est, ut sequitur: in hac autem sedium dominalium, quam et sedriarum procedura sequens norma observetur:

a. In re urbariali non esse opus multo processu, et verbis, quae negotium solum obscurant, protrahunt, et confundunt; unde

b. Postulata, et querimoniae in compendio punctatim, breviter, et clare proponantur, et exponantur.

c. Haec sua serie secundum numeros assummantur, et ad singulum sedes dominalis decidat.

d. Sedes judiciaria, seu appelletur causa, seu non, eandem revideat, et itidem punctatim decidat, ita ut si plura puncta approbet, et quaedam alteret, haec in specifico decidere, reliqua vero, quae approbat, generali approbatoria clausula cum adjecta ratione compendio complecti possit.

e. Processui, si quae acta, et producta adnectenda sunt, illa debita cum provocatione et in margine processus, expressis requisitis notis adnectantur.

f. Processum celeritatis causa in ipsō etiam crudo maculatorio submittere possit comitatus.

g. Occasione revisionis processuum in ipsa sedria infelix sors miserorum, et totum pro de-

fensione regni requisitum onus unice supportantium contribuentium, per omnes magistratuales et assessores ea cum aequanimitate cordi summantur, ut ab iisdem omnis illegalis suppressio, et excessivum onus secundum jus, et aequum avertatur. Ibidem.

5. Circularis benigna resolutio regia de 28. aprilis 1766. intervenit, ut domini terrestres in sedibus dominalibus querulantibus justitiam administrent, et servitores suos ab omnibus excessibus prohibeant, si et in quantum per hos subditi damnificati fuisse comperirentur, condignam satisfactionem autoritate dominali terrestrali damnificatis procurare non intermittant.

NB. De celeriori urbarialium querelarum pertractatione.

Urbarialium querelarum pertractationem non obstante qualicunque possessorii mutatione, ex stricto jurisdictionibus publicis incumbente munere accelerandam esse.

B. resolutio regia in causa urbariali possessionis Nána comitatui Veszprém ingremiatae emanata. Nro. aul. 5537. 1814.

6. Benigna resolutio regia, ope cujus communitates ab exmittendis Viennam deputatis arceantur.

Eo apud complures jam communitates usuvenire observato, ut si quasdam urbariales querimonias semet habere existiment, easdem communiter medio deputatorum altissimo loco exmissorum, suae

Majestati sacratissimae proponi faciant, siquidem ejusmodi exmissiones absque praevio altiori indultu alioquin jam per iteratas, benignas eatenus emanatas resolutiones vetitae haberentur, sed et id certum sit, ad ejusmodi exmissiones, itinera, et intertentionem deputatorum necessarias expensas, cassa ex contributionali communitatum cum sensibili contribuentium et fundi contributionalis aggravio fieri assolere, in genere autem praeexistens provisio legis, quasvis communitates ceteroquin securas reddere possit, earundem querimonias praescripta legali via exhibendas, penes assistentiam fisci magistratualis suo loco assummendas, ac subin altissimae decisioni pro re nata substernendas venire; ut in casibus, ubi decisione comitatus minus contentarentur, semet ad constitutum penes Cancellariam regiam hungarico aulicam pro parte subditorum agentem aulicum scripto convertere valeant; hinc altefata sua Majestas sacratissima benigne demandare dignata est, ut ad praepediendas hujusmodi nimium frequentes, ac sumptuosas deputatorum exmissiones, praeexistentes passu in hoc altissimae normales dispositiones, virtute quarum exmissiones deputatorum singulis communitatibus absque praevio altiori indultu interdictae sunt, denuo eo addito republicentur; quod in posterum si quaepiam communitates porro adhuc altissimis his dispositionibus contravenire praesumpserint, exmissionum autores, ac ipsos quoque communitatum deputatos, non modo gravissimo responsionis oneri, et refusioni expensarum ad has exmissiones erogandarum, sed et ultra id, pro ra-

tione circumstantiarum promeritae quoque poenae irremissibiliter subiiciendos fore.

Quam proinde benignam resolutionem regiam Consilium hocce regium locumt. praetitulatis dominationibus vestris de positivo altissimo jussu pro sui directione, et solita publicatione hisce notum reddit de dato 6. octobris 1795. nro. 20824.

NOTANDUM. *Quoad frequentiores communitatum deputatorum cum recursibus querulosis Viennam exmissiones.*

Non obstantibus iteratis b. resolutionibus regiis, observare saepe est, quod plures regni locorum, et possessionum communitates, fine promovendarum coram altissimo trono regio querelarum suarum, penes praevie factas cum agravio et enervatione contribuentium collectas, deputatos Viennam exmittere soleant, isthaec autem procedendi norma, quae jam majorem in gradum animos colonorum coeco quodam impetu occupasse, ac in perniciosam consuetudinem abire perspicitur, cum principiis rectae administrationis publicae, et defixo urbariali systemate nequaquam conveniat, sufficienti documento, quod provocata saepius idcirco regiminis attentio, et paterna suae Majestatis sacratissimae erga subditelam sollicitudo optatum successum generatim non ubivis obtinuisse comperiatur, ad constabiliendam ex hoc visus puncto urbarialium communitatum tranquillitatem, si ab exmissione deputatorum in futurum penitus praesciderint, haec commemorare expediat.

a. Quod praeexistentes eatenus altissimae or-

dinationes in beneficium ipsius subditelae in stabilem facilioremque ejusdem sustentationis conditionem manifeste directae continuo extiterint.

b. Quod b. urbarialis regulatio quemlibet colonorum contra oppressiones et injurias securum reddat, ac modum exhibitionis et pertractationis praegraviorum diserte et per expressum defigat, sepositis cunctis nonnullorum, qui speculationes iniquas loco praetensae mercedis in substantiam colonorum sudore partam impie exercent, sufflaminationibus legali semper poenae obnoxiis.

c. Quod omnes communitatum deputatorum exmissiones, quae nullatenus necessariae sunt, effectum desideratae instantaneae decisionis ideo obtinere nunquam possint, quia idmodi querelarum objecta a defixo officiosae et legalis pertractationis eorundem tramite nullatenus abstrahi, et derivari queant; sed ad ordinarium, qui stabilitus est cursum, de praescripto reinviari, et per fora respectiva graduatim pro comperto ad mentem b. urbarii decidi debeant, eo semper paterna suae Majestatis sacratissimae provisione directa, ut querulantibus quo fieri potest, celerius suo modo et ordine justitia debite administretur.

d. Adesse autem praescriptam, quae interturbari nequit, viam, ut communitates in casum, quo gradualium fororum deciso non contentae sunt, aut coloni ipsi, quibus in specie obtutu querelarum suarum jus non debite dictum esse censeretur, in ponendas querelas condescenderent, apud constitutum ex officio contribuentium agentem, mediantibus literis, vel recursus coram respecti-

vis foris jam pertractati transpositione, via proinde breviori, quae deputatorum exmissionem supplet, et semper eundem, qui intenditur, instantiae quippe altissimo loco exhibitionis scopum, fine etiam parsimoniae sumptuum, gravamina sua communicare sciant, suae Majestati sacratissimae per eundem agentem inomisse pro strictissima obligatione et munere suo ex officio, adeoque gratis substernenda: denique

e. Quod etiamsi deputati cum gravibus expensis Viennam advenientes recursus suos exhibeant, iidem in nullum casum e vestigio neglecta jam semel defixa via, altissimo loco in meritoriam decisionem summi possint, cum haec auditis audiendis, juxta processualia documenta etiam locum obtineat, adeoque deputati iidem, citra ut rem terminassent, post exhibitum recursum domum redire, et ibi primum resolutionem praestolari debeant.

7. Ex pluribus in objecto urbariali suae Majestati exhibitis recursibus observato eo, quod querimoniae interdum etiam tales, quae jam praecedanee per altissimas quoque resolutiones regias superatae, et via concenentis comitatus finaliter terminatae sunt, proponantur, hacque ratione contribuens plebs inanibus cursitationibus, labores suos rurales negligendo, et expensas inutiles faciendo, viribus suis enervetur, cum causa omnium horum procul dubio in hominibus illis, qui posthabita honesta panem suum promerendi ratione, cupidine lucri, et contribuentes pecuniis suis emungendi studio, colonos communitatis cujuspiam

in pace sua sub protectione altissima caesareo regia requiescentes turbando imaginariis argumentis ad reiterandas querimonias suas jam superatas, aut ad novas infundatas proponendas sufflaminant, quaerenda esse videatur; quemadmodum paternae sollicitudini suae Majestatis sacratissimae interest superinde providere, ne contribuens plebs ultra tractamentam urbariale per introductum urbarium, cohaerenter altissimis resolutionibus regiis stabilitum, quoquo modo gravetur, ita administrationis quoque publicae objectum constituit, ut querimoniae si quae sunt, ordine et via praescriptis pertractentur, neve cursitationibus et expensis inanibus contribuens gravetur.

Hinc modum his omnibus sua Majestas positura, iterato saepiusque clementer decrevit, ut ordinationes regiae circa qualiter promovendas, in casu illo, ubi partes deciso concernentis fori contentae non sunt, querimonias emanatae strictissime observentur; una ad antevertendas inanes expensas, praesertim propterea instituendas collectas (que severissime prohibitae sunt) et cursitationes id etiam declaretur, singulum in casibus praescriptae modalitati cohaerentibus ad Consilium regium locumtenentiale, aut altissimo loco recursurum, semet passualibus a jurisdictione comitatensi (in casum quo quis absolute ire vellet, secus ordinaria via observanda) extrahendis providere debere, secus eundem sine mora ad locum reinviandum, et pro demerito puniendum fore; ad cohibendas vero inanes expensas, consentaneum esse; ut ad detegendos illos, qui contribuentem

ad recursus faciendos provocant (quod ne fiat, jurisdictio singula curae sibi habere debet) aut instantias apponunt, instantiae cujusvis dorso nomen concinnantis instantiam adnotetur; fine eo, ut pro re nata idem ad onus responsionis adtrahi, et subin ad refundendas inaniter contribuentibus causatas expensas condemnari, imo si is ignobilis foret, exemplari etiam corporis afflictiva poena plecti, nobilis vero actione fisci conveniri, et pro ratione reatus condigne puniri queat.

8. Nro. aul. 12848. 1801. de b. resolutione regia in urbarialibus disponitur, *a.* ut provisio illa circulariter republicetur, ut querimoniae seriatim et punctatim proponantur, taliter etiam decisiones tam in sede dominali quam sedria ferendae. *b.* Ubi plurium possessionum querelae concurrunt, cujuslibet possessionis querelae pertractandae — ita ut primum querelae integram communitatem in concreto concernentes assummantur, et dein individuales colonorum, quorum si unus alterve plura haberet agravia, haec punctatim attacta methodo pertractentur. *c.* Provocatorum in allegatis instrumentorum elenchus semper per notariatum comitatensem occasione submissionis processus adnectatur. *d.* Documenta slavonica semper etiam in latinum transponantur. *e.* Comitatensibus injungatur, ut praescriptum hoc per partes concernentes exactissime observari curent, et si ex processibus sedriae exhibitis observarent, praescripta haec observata haud fuisse, processum sedi dominali non solum expensarum reiterandae

sedis dominalis, sed etiam damni ex mora enati resarcitionem mansurae remittant.

9. Quamvis b. urbario provisorie in tabulas legum relato, quod normam tractamenti subditelae in respectu quoque correlationum inter dominia terrestralia, et colonos subversantium, uberius defigit, sufficiens ad mentem altissimae voluntatis regiae continuis exemplis manifestatae, tum ad consolidandam colonorum faciliorem existentiam, cum et ad evitandos omnes abusus, et excessus atque profligandum omne etiam functionariorum publicorum in hac administrationis parte arbitrium, provisio facta habeatur, observare tamen est, hinc inde altissimis intentionibus regiis, et b. dispositionibus non ea adhuc cum intensione, studio, et aequitate satisfieri, ut ab administratione publica hoc in objecto nihil amplius desiderari possit. Experientia testatum reddit, querelas colonorum saepe fundamento non carere, ut ut saepe citra justam causam querulandi pruritum compluribus adesse negari non possit. Id autem admitti, plurima subditorum urbarialium gravamina, potissimum excessus robottarum, praestationum item, et varias fundorum sessionalium, aut manu rustica cultarum species respicere; quibus obviandi necessitatem jurisdictionibus concernentibus pro ratione officii imponi eo evidentius est, quo tali pacto et colonos publicis oneribus ferendis non ita pares reddi, et justis eorundem querelis longius complanari intermissis, statum publicum, et ipsa dominia detrimentum pati debere certum sit.

a. Quo excessibus robottarum contra, vel ul-

tra urbarialium efficaciter obvietur, in majoribus bene regulatis dominiis, quae salutem subditorum suorum suam esse censent, provide jam pridem, dicae aut sigilla, vel vero schaedae robottales pro ratione extensionis dominii sunt introductae, ac una tabellae distantiarum relate ad itum et reditum duntaxat pro perficiendis laboribus dominalibus impendendum, sub inspectione, et ratificatione comitatus elaboratae, et extradatae; in banaticis comitatibus autem tabellae praestationum robottalium generatim in usu sunt.

2. Quo arbitrariis fundorum sessionalium convulsionibus cum effectu impediendis scopus altissimae intentionis regiae realiter obtineatur, provisione hac etiam ad fundos extirpatitios, et qui rustica coluntur manu, extensa, salutarem hanc in plurimis comitatibus vigere dispositionem, in altissimis ordinationibus regiis radicatam, ne officiolatus dominiorum relate ad constitutivum sessionale, et ceteras fundorum species ullam proprio motu et via facti, absque articulari testimonio, et interventu fisci magistratualis suscipere audeant alterationem, et in casum quo id contingeret, erga recursum laesi, meritum mutationis fundorum in instanti per magistratuales e commissione superioritatis, citra ullum respectum ad statum antemutationalem reducatur, objectumque idmodi expost primum, dum jam in statu antequerimoniali est, ad solitam officiosam pertractationem, si dominium facto suo inhaereat, relegetur.

In comitatu Moson. in oppido Laithafalu (Potz Neusiedel Marktes Gemeinde) sunt tres in-

tegrae sessiones colonicales anno 1816. excontentationi creditorum bonae fidei, mediante licitatione publica substratae, et per dominium terrestrale virtute sibi competentis prioritatis, depuratis oneribus ad se pertractae, communitas pro beneficiis sibi contractualiter per dominium addictis, onera publica has sessiones respicientia, in se assumsit. — Aequivalens onerum publicorum, unius sessionis colonicalis, tres annos 1811. 1812 et 1813. calculando, in diametro pro uno anno constituit 201 fl. 30 kr. ea tamen in contractu expressa legali conditione, quod dominium has sessiones nunquam curialisare possit, sed evolutis contractualibus annis impopulare debeat.

3. Exempla adesse, quorum vel sola mentio dignitatem officii roborat, ubi publicus jurisdictionum magistratus conservationi plebis contribuentis, pro nobili officio suo intentus, omni cum vigilantia, remotis cunctis respectibus, effectum altissimarum dispositionum sollicite procurat, atque ad reprimendam omnem, quae in urbarium impingit, licentiam, manutenendumque, qui defixus est, systematis urbarialis ordinem, provisionem b. urbarii, signanter instr. exeq. mag. cap. V. §. 17. et 30. a d f i n e m, erecta etiam contra excedentes actione fiscali insigniter exequitur.

In horum communem sustentationem duo adhuc videntur necessaria;

a. Exacta obligationum, quae ex datiis, praestationibus, et servitutibus urbarialibus surgunt, notitia, et correlationum inter dominum terrestrem, et ejus colonos mutuo subsistentium suf-

ficiens cognitio, ut eo pacto quivis sciat, quid praestare, et dare domino, quid item hujus loco a domino terrestri de jure exspectare, et exigere debeat.

b. Celerrima aequitatis, et justiciae in urbarialibus administratio, qualiter autem haec obtineri queat, ad partes officii administrationis pulicae, et sollicitam exequentium magistratualium curam pertinet; eo addito, spiritum optatae aequitatis, et justiciae nonnisi in viris, quorum vitae integritas, caracter, animusque a partium studio, ira, aut odio remotus probam sustinent, et non ab aliorum nutu, et desideriis dependent, inveniri, atque per hos, et tales functionarios publicos celeriori etiam objectorum urbarialium decisioni egregie consuli.

ART. V.

De processibus urbarialibus promotioni et curae advocatorum concredi solitis, eorundemque processuum literalibus documentis.

Processus urbariales, uti jam dictum, eriguntur coram sede dominali, tanquam primo foro instantiae. Basis est a c t i o, in qua substratum praetensionis; quam pars A. in via juris urbariali quaerit, clare proponi debet. Actioni fundamentum saepe suppeditat supplex libellus, vel querulosa instantia, quae amicis pactis nequaquam complanatur, fine obtinendae medelae exhibita. Actio quamvis cumulata sit in urbarialibus, nunquam condescensioni est obnoxia, prout secus in processibus stricte juridicis obtinet; possunt enim plura

tam quoad substratum, quam relate ad indolem praetensionis a se invicem differentia gravamina vel puncta uno libello actionali comprehendi, (quod ceteroquin frequentissime contingit;) et quoad omnia in complexu suo ordine et serie justiciae administratio obtineri. Rariores sunt in foro urbariali exceptiones illae, quae secus in juridicis processibus tanquam usitatae de jure admittuntur.

Actio, seu instrumentum illud, quo pars A. praetensionem suam quaerit, debet una cum acclusis, si adsunt, documentis parti I. seu in causam attractae more solito communicari; quae pro defixo termino comparet coram judicio, et responsum suum adornat. Nunquam vero prius pars A. processum moveat, nisi praevie de omnibus, quae legitimandae, seu debite probandae, et evincendae pratensioni aut desideratae aquisitioni suae subserviunt, necessariis instrumentis sibi prospexerit. Partis incatae obligationis est, substrato actionali respondere, et ea, quae vel ad rejiciendam ex integro actoris praetensionem, vel vero ad eandem modificandam, vel quali demum cunque sub obtutu considerandam spectare dignoscuntur, adducere, et adducta probis fidedignis fulcire. Latarum ex contumacia sententiarum exempla in urbarialibus non occurrunt, sed et secus ratio justi exigit, ut isthic ea norma iniri, et observari debeat, quae mutuis partium respectivarum correlationibus debite correspondeat. Natura processus secum fert, ut dicta et allegata partibus litigantibus mutuo communicentur, quatenus pars utraque in rem suam argumenta

pro et contra adferre, et processui inducere possit; quod alias etiam termino juris, nomine replicae, duplicae, et triplicae venire solet.

Maxima vis processus urbarialis consistit in instrumentis, et eorundem in rem applicatione. Paucis saepe verbis, provocative ad documenta, plurimum absolvitur, neque in stallo advocatiali quid dignius, quam brevitas, quae meritum rei plene tamen exhauriat; non enim verba, quae in allegatis occurrunt, et quibus una eademque res jam exhausta, nefors aliis verbis recocta rursus comparet, sed meritum rei, et debita instrumentorum in causam applicatio expendi, et ponderari solet; ubi partes dicta et allegata sua judicio jam submittunt, praefixo praevie termino coram sede dominali series allegatorum, et iisdem provocatorum instrumentorum (praemissa ceteroquin, si necesse sit, eorundem authenticatione) per extensum legitur, omnibusque rite discussis, ac mature perpensis sententia fertur, quae ubi meritoria est, (interlocutoriae enim sententiae substratum actionis non definiunt) primum momenta, et argumenta partis A. dein partis I. in rem summarie continet, et facta adinvicem combinatione, objectum actionis finaliter decidit; decisus ita processus cum omnibus acclusis, per articulare testimonium, quod sedi dominali semper adesse debet, ad sedem judiciariam concernentis comitatus defertur; et sic porro, fine maturioris, aut altioris revisionis. Omnes vero processus urbariales qui a revisione sedis judiciariae altioribus locis subterni solent, debent

in origine eorsum transmitti. Appellatae interpositio non constituit ulterioris transmissionis fundamentum, quia operata formalis sedis domilis semper, etiam absque appellata, sedriae — processus autem abhinc pro ratione substrati altioribus locis substerni debent; quin interjectio appellatae per expressum necessaria foret. Notandum, quod assistentes partibus suis advocati, in processu, omnem moderationem, et decentiam testari, cavillationibus, aut sugillationibus prorsus abstinere debeant, neque se unquam in ea, quae meritum substrati non ingrediuntur, partium studiose immittere, bene memores, caracterem suum, et honorem saepe in allegatis contineri, quem, ubi sphaeram destinationis suae, abrepti nefors passionibus excedunt, non raro cum eorundem graviori periculo vapulare contingit. Id autem utriusque partis procuratores jam e respectu officii sui, et illius fiduciae, quae in ipsis locatur, eo praecipue intendant, ut partibus suis integre, sincere, et eo studio, quasi rem propriam prosequerentur, continuo assistant, usque dum cura illorum processus fuerit decisus. Rescissis omnibus, quae illegales sunt, protelationibus, fine etiam eo, ne judicio ingrata necessitas imponatur ulterioris adursionis, inductionem inducendorum admaturent, pretiumque allegatorum non a multis verbis, quae judices fatigant, ast a stricto, et evidenti combinationis complexu, atque succincta, et energica propositionis modalitate repetant.

Objecta urbarialia a foris pedaneis altioribus locis substrata, coram excelso Consilio regio lo-

cumtenentiali, et excelsa Cancellaria regia hungarico aulica, ad praescriptum benigni urbarii, et altissimarum resolutionum regiarum, semper summo cum rigore, in officiosam pertractrationem summi et absque omni partium respectu, decidi solent. Ne autem casus eveniant, quo agendorum urbarialium moles causa possit esse, tardioris processuum superrevisionis, atque meritoriae decisionis, unde protelationem querelarum, aut praetensionum omnimode justarum in annos subsequi contingat, provide dispositum est, ut ad accelerandam processuum urbarialium pertractationem, ad Consilium regium locumt. quatuor Consiliarii, ad Cancellariam regiam hungarico aulicam tres Referendarii aulici constituti extiterint; qua provisione, sorti colonorum, et juribus dominiorum terrestralium administratio publica in eo gradu consultum esse voluit, ut dum parte ab una subditelam nobilitatis hungaricae in omnibus beneficiis et juribus urbario stabilitis conservandam disponit, onera quoque, praestationes quippe, datias, et servitutes tam dominio quam publico competentes, peraeque urbario defixa, absque resensu ferenda diserte exigat, parte autem ab altera, dum jura dominalia legibus et urbario definita, in complexu contra omnes abusus, aut involationes sustentanda commendat, dominiorum quoque terrestralium procedendi et agendi normam cum sua subditela ad praescriptum urbarialis systematis inomisse commensurandam districtim injungat; cuius altissimae intentionis spiritus, in pertracta-

tione omnium urbarialium causarum ubivis semper luculenter patescit.

In reliquo cum occasione revisionis processualium, aliorumque actorum slavonico idiomate confectorum dubietas occurreret, an relate ad dialectum, et usum loquendi in comitatu hoc vel illo vigentem, vera interpretatio eorum in revisoriis foris obtineatur; ideo universis comitatibus die 28. juni 1785.; et ab eo tempore iteratis jam vicibus intimatum est, ut ejusmodi documenta ac praesertim quae essentiam rei, ac probarum constituunt, in látina quoque transversione, per comitatus notarium qua genuina recognoscenda, submittantur.

ART. VI.

De urbarialibus protocollis.

Sua Majestas sacratissima praecipere dignata est, ut in singulis comitatibus distinctum urbariale protocollum ducatur, singulo semestri (nonnullae jurisdictiones trimestraliter adornant) Consilio regio locumtenentiali submittendum, ex quo appareat, num querimoniae quando exhibitae, assumptae, qualiterque superatae sint, aut fors qua de causa indecisae haereant, judices vero nobilium occasione frequentiorum visitationum sui processus investigent, num sedes dominales (— quae in majoribus dominiis quovis anni quadrante, in minoribus semel ad mininum in anno praevie tamen subditis publicandae celebrari solent, opere sedis dominalis ad comitatum referendo) debito tempore celebrentur, et dominia querulantibus

justitiam administrari faciant. Nro. 8392. 3. apr. 1798. nro. 7614. 1803. 5. aug. iterato ordinatum, quod alioquin ad nrum. aul. 12848. 1801. disponebatur. Nro. aul. 13480. 1815. rursus dispositum, ut protocolla urbarialia singulo trimestri altissimae inspectioni per cunctas jurisdictiones via Consilii regii locumt. submittantur. Protocollorum submissionis necessitatem remonstrat ea intentio administrationis publicae, ut ratione activitatis in re urbariali concernentibus foris, et dicasteriis attributae certitudo obtineatur, resolutiones lege, et urbario defixas, rite observari, justitiamque ad praescriptum illarum ubivis administrari; si vero qui defectus, seu obtutu arbitrariae pertractationis casuum urbarialium, seu in ipsis decisionibus observarentur, idcirco actutum necessaria disponi possint. Protocolla Consilii regii locumt., cetera inter, urbarialia quoque fine inspectionis, Cancellariae regiae hungarico aulicae, huius vero dicasterii similia cum reliquis protocolla de sessione in sessionem altissimo suae Majestatis sacratissimae obtutui substerni solent; insigni documento, egregii administrationis publicae in urbarialibus caracteris.

ART. VII.

De legis articuli 12. 1792. provisione relate ad complanationem querelarum urbarialium.

Erga b. suae Majestatis regiae propositionem decreverunt status et ordines regni, ut provisio art. 35. 1791. sub provocatis ibidem cautelis, et con-

ditionibus usque proxime celebranda regni comitia extendatur, ac praeterea in locum annuarum urbarialium visitationum pro celeriori, et adaequata querelarum urbarialium complanatione accedente etiam suae Majestatis consensu, modo provisorio sequentia observentur.

1. Subditus dum et quando querelam quampiam urbarialem habet, in prima instantia, apud dominum nempe suum semet insinuet, et si ibi medelam non obtineat, querelam supremo vel vice comiti, aut processuali judici nobilium proponat. Qui

2. Non exspectata congregatione, vel sui exmissione, meritum querelae ex incumbente officio, parte ab utrinque audita investigare, et si supremo vel vice comiti querimonia urbarialis proponitur, hi investigationem talem ordinare teneantur.

3. Investigans magistratualis persona, occasione ipsius investigationis meritum querelae pro justo et aequo statim amice sopire et componere satagat; quodsi vero

4. Accomodatio succedere non posset, extunc investigans magistratualis dominum terrestrem ad celebrandam sedem dominalem illico admoneat, et una

5. Sub proxima congregatione seriem peractae investigationis referat, fine eo, ut circa celebrandam sedem dominalem, ipsumque si opus esset, praefigendum terminum, aut si sedis dominalis celebratio intermitteretur, revidendam in sede urbariali causam, et ad utrumque casum ordinandam subditis assistentiam fiscalem comita-

tus ulteriora disponere valeat, imo debeat, ac denique

6. Cujusmodi comitatui referendae investigationes, ipsaeque decisiones protocollo pro reliquorum negotiorum improtocollatione deservienti, rite inserantur, salvo parti non contentae intra dominium ad altiora loca modo vigente recursu.

ART. VIII.

De processibus urbarialibus quibusnam in casibus altissimo loco substernendis.

Quaestio illa, utrum omnes processus urbariales, posteaquam per sedes dominales, et sedrias comitatuum decisi extiterint, vel vero tantum ii, qui gravioris momenti objecta involvunt, et in quibusdam specificis casibus ante executionem sententiarum in sedriis latarum, fine revisionis locumtenentiali Consilio submitti debeant, nec per benignum urbarium, nec per instructionem pro magistratualibus urbarialum regulationem exequentibus, nec per instructionem pro comissariis regiis in re urbariali ad comitatus exmissis elaboratam, nec per legem, nec denique ullam seu praecedaneam seu modernam b. resolutionem regiam positive, et generatim decisa extitit.

Non per urbarium, in hoc enim relate ad promotionem querelarum urbarialium puncto 5. §. 9. non aliud praescribitur, quam ut injuriatus colonus medelam apud dominum non obtinens se ad comitatum convertat.

Non per instructionem exequentium magistratualium, capite enim V. §. 30. in fine statuitur, ut seu communitates in con-

creto, sive hic vel ille particularis subditus per officiales dominales aut servitores injuriarentur, obtinendo remedio et satisfactione recurrant ad concernentes dominos terrestres, veluti primam eorundem instantiam — pro casu non obtenti remedii ad comitatum etc.; eo §. 25. instructione comissariorum regiorum sancito, ut universi processus urbariales in sedibus dominalibus definiti, seu hi appellati seu non appellati extiterint, per legale testimonium ad sedriam referantur.

Non per instructionem regiorum comissariorum: in hac enim §. 25. norma procedurae et allegationum in processibus urbarialibus observanda praecipitur, quaeve querelae in sede dominali, quae item in sedria promovendae, aut decidendae sint, continetur.

Non per legem, tenore enim articulorum 35 et 51. 1790 — 91, illud tantum praescribitur, ut legali sedium dominalium activitate restabilita, sedes dominales in discutiendis, et definiendis colonorum querelis et causis, cum cautelis lege praescriptis in omni necessitatis casu inomisse celebrentur, et forma illa, quae ante judiciorum regulationem viguit, observetur, atque prompta querulantibus colonis satisfactio praestetur.

Non denique per ullam praecedaneam benignam resolutionem, relate enim ad normam manipulationis objectorum penes locumtenenti. Consilium observandam, in specie quoad pertractationem urbarialium negotiorum inde ab introductione benignae urbarialis regulationis duae

supervenerunt resolutiones positam quastionem respicientes.

Una Theresiana die 18. Jan. 1769. vigore cuius urbarialia negotia in separatis comissionibus (praeside uno — eotum excellentissimo comite Ioanne Csáky, et quatuor Consiliariis praesentibus) pertractari, ac ita in pleno referri ordinabantur.

Alia Josephina de 4. Maii 1781, virtute cuius decisio omnium processuum urbarialium activitati Consilii locumtenentialis defertur (Nro. aul. 1000. 1804.) neque ulli processus huius generis dein altissimo loco submitti praecipiebantur, nisi talem quaestionem involverent, quae per benignas resolutiones nondum decisa foret; ab eo tempore activitatem Consilii regii locumtenentialis in urbarialibus anno 1801. quidem in claris terminis defixam, praesentis tamen quaestionis statum haud determinatum extitisse.

Facta casuum particularium decisionis combinatione, unde generalis norma constabilita fuisse observatur, successive per positivas benignas resolutiones regias roborata;

Urbariales processus sequentibus in casibus altissimo loco substerni debent.

1. Si de contractu perpetuo stabiliendo agatur.

2. Si neo impopulata possessio regulationi urbariali subjiciatur, vel classificatio alicuius loci immutanda sit.

3. Si dominus terrestris aliquam partem fundi colonicalis in urbariali regulatione comprehensi fundo dominali adscribi velit.

4. Si de quaestione quoad privilegia agatur,

et hoc titulo causa ad viam juris ordinariam invianda censebitur.

5. Si occurrentes casus per b. normales resolutiones decisi non sint.

6. Illi quoque casus ubi de abaestimationibus, aut eliminationibus colonorum, nec non de graviori quapiam poena seu colonis, seu officio latui dictanda agitur.

7. Protocolla urbarialia pariter altissimo loco submittenda.

8. Super instantiis urbarialibus, pro praestanda informatione transponendis, suae Majestati sacratissimae relationes submittantur; prout et

9. Processus urbariales illi, in quibus sedrialis sententia penes Consilium regium locumtenentiale in stricto merito reformanda adinvenitur. Nro. aul. 12848. 1801.

10. Processus ad reluitionem extirpaturarum Nro. aul. 3470. 1816.

11. Processus ad sublationem contractualis tractamenti. Nro. aul. 2173. 1816. etc.

ART. IX.

De casu decisi jam processus urbarialis per complanationem amicam expediti.

In processu urbariali circa proprietatem paludis Kanisai Berek, per oppidanam communitatem Nagy et Kiſs Kanisa in comitatu Szalad. contra dominium terrestrale coram sede dominali moto, ab hinc autem revisioni sedis judiciariae ejusdem comitatus substrato, eadem sedria sequentem tulit sententiam tam in Consilio regio

locumtenentiali, quam in Cancellaria regia hungarico aulica approbatam. Nro. aul. 6622. 1808. — Oppidana communitate jus, ac proprietatem paludis Kanisai Berek dictae, fundamento eo, quod olim sub commissione camerali, totum terrenum, adeoque palus etiam, in quantum territorio oppidi includitur, ad se pertinuerit, tempore vero Grassichiano, praeter nonnulla beneficia contractu mediante dominio cessa, in reliquorum possessorio permanserit, sibi vendicante, ac id ipsum documentis, sub B. seriatim usque N. inactatis comprobare adnitente, subsequum vero paludis ejusdem sub possessorio Szapariano, et Batthyanyiano usum, reliquis instrumentis evincere adlaborante, quoniam provocata ejusdem producta, id quod in possessorio totius terreni, aliquando etiam paludis praefuerit, minime doceat, imo extractus sub C. per molae unius ex reliquis excisionem, terrarumque ac pratorum certo numero ad sessiones ordinatam emensionem, non secus et contractus Grassichianus sub F. ceterorum beneficiorum sub censu factam cessionem, reliqui terreni partis proprietatem ac usum potius pro dominio solicitarent, accedente insuper eo, quod oppidani tam sub possessorio camerali, sensu propriorum documentorum et signanter sub D. quam ab eo inde tempore, continuo contributioni obnoxii ignobiles juris, ac proprietatis bonorum nobilitarium, utique incapaces fuerint, sed nec repraesentativo cujuscunque temporali jure, velut subseque excelsae familiae de Batthyany factae benignae collationi regiae haud aequipara-

bili, eo minus derogare queunte, eam sibi vendicare valeant, formatam per eosdem ad jus, ac proprietatem paludis praetensionem infundatam censeri, et dominium in hoc jure, et proprietate, vi praeallatae donationis continuo etiam literalibus documentis evicto usu firmatae unice competente stabiliri. — Verum eveniente ex producto dominali sub Nr. 11. eo, quod pars prati Várhely dicti, virtute transactionis inter comitem Szapáry, ac oppidanos anno 1732 initi puncto 8. iisdem oppidanis cessa habeatur, ut ut hi transactionem illam partim contradictionibus, partim effective motis prioribus, ac modernis processibus continuo impugnaverint, quia tamen dominium praescriptam conventionem ad effectum deducendo, in ejusdem usu ad hunc usque diem permanserit, adeoque oppidanam communitatem, in possessorio attactae plagae facto proprio stabiliverit, hanc eidem porro quoque sub limitibus et conditionibus eodem puncto 8. expressis salvam relinqui. — Non secus et in usu plagae Polaj Szigeth per contractum anni 1773. Nro. 12. oppidanis pro pascuo cessae, iisdem ex fundamentis, et sub conditionibus contractualibus oppidanos stabiliri. — E contra falcastrum Stephani Bencsik in processu urbariali snb D. puncto 16. ad hunc processum relegatum, quoniam oppidani illud in prato dominali Várhely situari sponte recognoscerent, allegata praescriptione (cujus ignobilis praesertim contra dominium utique incapax est) non obstante porro quoque dominio addici. — Ceterum cum ex oculari revisione sub Nro. 24. clare erui nequi-

ret, quaenam ex **pratis** actu per oppidanos possessis sessionalia, quaeve extirpatitia sint, quae item sub, vel sine censu possideantur, quo adaequata horum quoque intuitu decisio ferri valeat, praemissorum per sedem dominalem individualiter praestandam clarificationem decerni, ac ideo et fine eo processum ad eandem remitti; (defectu hoc per sedem dominalem prius ceteroquin suppleto, quam processus altissimae revisioni substratus fuisset).

Tardius ordinata sub solenni deputatione cum interventu fiscalis assistentiae, intuitu urbarialis hujus, et paludalis processus amica transactio et respective complanatio inita est, quae etiam praestita in rem relatione, penes exhibitionem quadruplicis ordinis contractuum, Grassichiani ut pote, Szaparyiani, Batthyanyiani, et Baloghiani, altissimo quoque loco rati habita est. Nro. aul. 4181. 1811.

Jam vel unicum isthoc, cui plura adjici possent, exemplum, sufficienti documento est, amicam processuum urbarialium, etiam decisorum complanationem, normativis resolutionibus regiis non adversari, occasione cujus ad sequentia reflectendum est.

1 Gravaminum, aut causarum urbarialium amicae transactiones, etiam coram ordinata pro rei substrato, solenni deputatione, praesentibus, dominalibus officialibus, et communitatis judicibus ac loci primoribus fieri possunt, ita tamen, ut fiscus magistratualis contribuentibus ex officio assistens idmodi amicis complanationibus semper inomisse interesse debeat.

2. Substratum transactionis nunquam in tales resolutiones regias, quae secus normam generatim praescribunt, et pro stricta observantia deserviunt, impingere et iisdem adversari potest.

3. Omnis coactio absit, cum in transactionem tali pacto firmandam libera mutuaque partium transigentium voluntas, et spontaneus consensus requiratur.

4. Prout omnes contractus urbariales, urbariali praescripto leniores esse debent, ita omnes quoque transactiones in formam consveti instrumenti, quod suo modo confici et subscribi debet, redigendae, illi principio conformes sint, ne limites et mensuram urbarii quoquo modo excedant, urbariali regulatione in omnem casum leniores.

5. Transactionalia instrumenta, in quantum urbarialem causam, aut substratum de indole sua secus revisioni excelsorum dicasteriorum substernendum respiciunt, semper cum omnibus eo spectantibus actis fine ratificationis, altioribus locis submittenda sunt.

6. Instrumenti approbatae transactionis suo modo et forma expediti unum exemplar pro directione, et observantia subserviturum semper communitati, cuius interest, consignandum est.

ART. X.

De benignis in re urbariali emanatis dispositionibus regiis accurate observandis.

Benigno urbario provisorie in tabulas legum relato, normam tractamenti subditelae respectu

etiam cunctarum correlationum inter dominia terrestralia, et communitates subversantium sat superque defixam, pluresque benignas eundem in scopum ad consolidandam colonorum faciliorem existentiam resolutiones regias quidem editas esse, quibus modo rite observentur, effectus altissimae voluntatis regiae, repressis cunctis excessibus certo obtineri posset. Cum tamen ex officiosa pertractatione processuum urbarialium, et superrevisione protocollorum ejusdem objecti omnino apparuerit, querelis colonorum saepius, prout in spiritu b. resolutionum oportuisset, non debito modo prospectum fuisse, adeoque invigilandum esse, ut praeexistentes in urbarialibus benignae ordinationes regiae tam per publicos magistratus, quam et concernentia dominia terrestralia pro ratione officii et strictae obligationis irremisse omni cum sanctimonia observentur, hinc scopo efficacius procurandae huius debitae observantiae, die 22. decembris 1815. nro. aul. 15948. dispositum est, „ut ad refroenandam omnem, quae in b. urbariales resolutiones regias per arbitrarium procedendi modum impingit, licentiam, manutenendumque qui defixus est, systematis urbarialis ordinem, peculiaris sollicitudo et vigilantia adhibeatur, quatenus observati ex investigatione magistratuali, aut e serie protocollorum urbarialium abusus et excessus urbariales eum in finem adnotari non intermittantur, ut transgressores benigni urbarii, et resolutionum eatenus emanatarum, tum ad plenam colonis praestandam indemnitatem, tum etiam insuper in spiritu provisionis instruct. exequent.

magistratualium cap. V. §. 17. actione fiscali conveniri possint, cuius altissimae intentionis effectus pro comperto, jurisdictioni cuius intererit, sub strictissimo onere responsionis eo addito injungendus esse commendabatur, ut publicum magistratum, qui conservationi contribuentium iisdemque administrandae justitiae pro officio, exposcentibus id ipsum publicis legibus, omni cum sollicitudine, remotisque cunctis respectibus incumbere tenetur, ad satisfaciendum omni ex parte huic legali suae obligationi efficacissime stringat. In reliquo peliari curae sit jurisdictionibus, ut objecta urbarialia omni cum exactitudine pertractentur, et in eos, in quos culpa seu morositatis seu alterius imputationis reciderit, auditis audiendis, severe animadvertatur.“

Quemadmodum objecta urbarialia in universis regni comitatibus medio comissariorum regiorum pertractata initio fuisse, ipsae instructiones occasione introducti urbarii pro parte comissariorum regulationem hanc introducentium, et exequentium magistratualium emanatae, uberius manifestant, ita nunc quoque, ubi ratio circumstantiarum deposcit, suam Majestatem sacratissimam ad ipsas comitatuum congregationes, sed et secus pro supremo suo jure regio, et observato in haec usque tempora usu, comissarios regios peraeque exmittere, atque executivam potestatem exercere, ut implementum legum, et resolutionum efficaciter procuretur, officiosa docet experientia. Ex ipso systemate urbariali fluit, in casibus, ubi per editos altissimos ordines, observati nefors exces-

sus non debite reprimuntur, necessitatem adesse, ut precarius, aut perplexus inter subditos, et dominia terrestralia status, principiis administrationis publicae oppositus, ad rectiorem ordinem et consistentiam reducatur, hunc vero in finem, si comissarii regii denominentur, executivam potestatem, dum parte ab una obventiones, et jura dominalia praedefixo urbario relate ad mensuram et limites conformia esse vult, parte ab altera, omne arbitrium, quod basim abusibus suppeditat, omnesque exactiones ultra praescriptum urbarii extensas porro tollendas disponit, nobili officio suo satisfecisse.

Summa dispositionum regiminis uberius monstrat necessitatem exactae observationis eorum, quae constabiliendae subditorum conditioni et praescripta sunt, et defixo scopo subservire censentur. Non omnia, quae colonorum sortem involvunt, per integrum regulis absolvi, non prius casus quam eveniant, generice in rem exhauriri possunt; multa profecto activitati, et studio justitiae dominiorum terrestralium relinquuntur, et dum haec partem administrationis publicae hoc instituto obtinent, officia hominis, dominorum terrestrium ita extensa sunt, ut et recto procedendi modo, et salutarium dispositionum effectu, altissimae intentioni faciant satis, arbitrioque, quod iisdem ex hoc visus puncto relinquitur, in promovendam urbarialium subditorum felicitatem, cum alleviamine colonicalis subsistentiae uti, et operam idcirco impendere, sua reputent esse commoda, suarum fortunarum augmentum, ne du-

ram ceteroquin semper serviendi conditionem, ullo unquam dominicae potestatis abusu, aut excessu duriorem reddant, vel reddi permittant. Vitent processuum, et querelarum necessitatem proprio justi et aequi amore, ut suos subditos de optima administratione convictos, in ipsis solum, et ipsorum nutu vivere, et agere oporteat. Non instrutiones, aut praecepta, sed animi candor, veritas rei, et justitiae caracter sunt, quae spiritui dispositionum in urbarialibus correspondent. His incumbant continuo, et subditelae, in quantum laederetur, celeriorem laesionis complanationem procurent, cum alioquin et status eminentia, et notio jurisdictionis dominii terrestralis hanc procedendi, et agendi normam de lege, et merito exigat; atque complexum dominii virium secus etiam idea terrestris domini eo semper legali in gradu figat, ut subsidio imbecillioris illorum conditionis, quae paritionem cum subditela conjungit, in omnibus correlationibus procurando subservire, ejusdemque status vicissitudinibus omnem propria causa protectionem impertiri, et promptissime medelam atque auxilium implorantibus ferre possit.

CAPUT VIII.

De conspectu parallellae systematis tractamenti subditelae in inferiori Austria comparative ad urbarium pro colonis in Hungaria defixum.

Opus typis datum sub titulo: Practische Darstellung der in Österreich unter der Enns für das Unterthansfach bestehenden Gesetze, von Ferdinand Edlem v. Hauer, k. k. N. O. Regierungssecretaire, 2te Auflage, von Joh. Gottfried Ritter v. Rößler, der Rechte Doctor, k. k. Rath, k. k. Hofkammerprocuraturs-Adjuncten, und N. O. Unterthansadvocaten, Wien 1811. bey Joh. Georg Ritter v. Mößle, in quatuor tomos subdividitur, in quorum 1. agitur de praestatione robottarum et servitutum, quibus coloni dominiis suis terrestralibus obstricti sunt. 2. de jurisdictione dominali, et iis, quae abhinc profluunt, 3. de superioritate locali et strictim de politia, ejusdemque dispositionum effectu, 4. de miscellaneis utpote de jure concedendi quaestus, aut opificii tam commercialis quam politici, de epocillatione, jure motano, jure praeturali, et decima: opus multo certe functionariorum publicorum labore et conatu adpromptatum, quod praesenti conspectui pro basi et fundamento deservit; neque enim alia norma pro sistenda obtutui hac quaestione adoptari potuit.

In quantum eruderatio propositi substrati operam provocat, absolutus citati operis tractatus haud sistitur, multis in eodem praesertim

tomo 3. contentis, quae juxta spiritum benigni urbarii hungarici aliam longe, quam quae urbarialis est, sphaeram ingrediuntur.

Paterna suae Majestatis sacratissimae intentio praesertim sub glorioso regimine Francisci I. Augustissimi imperatoris, et regis continuis exemplis manifestata eo tam in Hungaria, quam et Austria dirigitur, ut omne prorsus arbitrium in tractamento subditelae ubivis evitetur, conditioque colonorum stabilem eamque oneribus publicis et dominalibus, atque suae subsistentiae commensuratam obtineat provisionem, atque sub hoc obtutu parem esse de altissima gratia, et clementia caesareo regia in tractamento colonorum publicae administrationis efficacem provocationem. Perpetuo Jobbagyionatu, mancipioque ubivis in monarchia et Hungariae provinciis etiam sublato, colonos ut homines, non amplius velut subjecta terrae aut proprietatis mobilium adinstar considerari, juribus suis et beneficiis provisos parem cum eminentiori classe pro debito obtinere legis protectionem, et justitiae administrationem; quibus si industria accedat unica, coloni urbariales, et vitae commoditatem, et solatia domestica facile consecuturi sunt.

Relate ad quaestionem hanc, quod coloni in Hungaria non habeant fundorum sessionalium proprietatem, per exteros quoque nobis cum petulantiae saepe objectam, sat multa jam in opere praesenti dicta sunt, ex quibus ratio et indoles eorundem fundorum Austriacis analoga, praesertim etiam ex introductione, uberius perspici potest. Li-

beram emptionem et venditionem fundorum colonicalium in Banatu generatim, in Hungaricis comitatibus, ubi in usu est, porro quoque ad mentem ipsarum legum semper manuteneri, ipsum urbarium et benignae dispositiones regiae affatim docent, eo tantum isthic attacto, proprietatem austriacorum fundorum ita comparatam esse, ut dum emptio venditio eorundem, aut quaepiam mutatio intercedit, per notabiles laudemii taxas decursu plurium annorum capitale dominio investitum per ipsos colonos in parte quadamtenus resarciatur. Ubi in Hungaria pro indole primitivi jam spiritus nationis, et constitutionis, fundis sessionalibus subditelae gratis omnino erga pendendum stipulatum censum assignatis, adeoque spectata origine disparem cum austriacis naturam subingredientibus, nulla etiam intercedente cuius demum cunque ordinis mutatione, hoc titulo quidpiam ex parte colonorum dominiis penditur, quorum dominiorum libera dispositio cum fundis colonicalibus adeo restricta, quin imo per expressum vetita est, ut eadem eminentem duntaxat, prout in Austria est, constitutivorum sessionalium proprietatem (Obereigenthum) habeant, realis autem unice fundi contributionalis proprietas dici debeat in spiritu b. illius dispositionis et legis, quidquid fundum contributionali-urbarialem aut dicalem conscriptionem ingressum est, illud ab eodem amplius avelli non posse. Ita nec austriacis dominiis terrestralibus plenam cum fundis subditelae agendi libertatem, eorumdem codex urbarialis attestatur. Cui autem juri innititur desumptio terragii (Grund-

dienst, apud Romanos laudemium minus) seu in naturalibus seu parato aere, quantitate ejusdem non designata, praestandi, quam in recognitionem eminentis dominii proprietatis? verba legis austriacae: Der Grunddienst wird entweder im Gelde, oder Früchten zum Zeichen der Anerkennung des Obereigenthumes jährlich mit einer sehr mäßigen Abgabe entrichtet; ex quibus patet substratum quaestionis quoad proprietatem colonicalium fundorum in Hungaria ita esse comparatum, ut dum extranei eatenus nos impetunt, magis de verbis quam de re agi videatur, quod ipsum in opere ipso uberius remonstratum est. Experientia differentem conditionem quoad vitae facilius sustentandae media unice repetit ab industria, quae ubi majorem gradum alacritatis consequitur, commodiorem etiam eo ipso suppeditat subsistentiam, et hujus augmentum; Industriae defectum non illis objectionibus, quod fundorum proprietas ambiguam in Hungaria subeat classem, adscribendum esse remonstrat uberius felix illorum conditio, qui in alienis quoque tenutis, laborum suorum, et fatigii utilem reportant mercedem, et abundantia vitae media.

Quod vero robottas concernit (die Frohne, oder die Frohndienste — Frohnablösungs = Vertrag) praemisso eo, quod relate ad qualitates sessionum colonicalium in Austria (unterthänige oder dienstbare, oder Rustical - Gründe) coloni integrae, mediae et quartae sessionis duntaxat existant (Ganz — Halb — und Viertellehner; Grundholden vocantur, qui unice respectu realitatum suarum dominio terrestrali

obstricti sunt — Inleute qui nullam domum aut fundos habent — Kleinhäusler etiam Hofstätter dicti) Octavalistis, prout in Hungaria est, non comparentibus, quod maximam differentiam relate ad urbarium hungaricum sistit, est, quod juxta principium illud, obligationem robottae solummodo fundis domiciliatis, nullatenus autem extravillanis inhaerere, in Austria absque discrimine qualitatis, an integrae vel mediae, vel quartae sessionis coloni sint, omnes hi singillative 10¼. diebus per annum robottas manuales praestare sint obligati — proportione eatenus in Hungaria districtim defixa existente: unde mensura beneficiorum et onerum uberius patescit, cum juxta attactam proportionem a possessorio constitutivi sessionalis pro ratione aequi et justi majoribus oneribus, quam ratio beneficii admittat, hungarica subditela haud subjiciatur, necessitatemque hujus normae principia administrationis publicae juxta defixas classes sustentent. Profligatum est omne in desumptione robottarum arbitrium, tabella urbarialis, quae cum ceteris actis urbario-regulatoriis altissimam adprobationem subiit, deservit pro norma sanciti eatenus tractamenti, quae relate ad ipsum possessorium in libro funduali suum obtinet calculum.

Casum vero in eum, ubi in Austria integralista bijugo duntaxat, aut manuali labore, mediae autem sessionis colonus unice manuali opera robottam absolvit, obligantur iidem etiam ultra defixum dierum numerum robottas praestare; ita

tamen, ne numerus dierum 208. annue superetur, quod urbarium hungaricum non admittit. In spiritu benigni urbarii pro Hungaria stabiliti, principium ejectationis robottarum radicatur in actuali tenutorum extravillanorum possessorio; cum et ipsa ratio justi et aequi eam isthic proportionem observandam commendet, quae vires subditorum habita status possessorii fundorum sessionalium reflexione, nullatenus excedat; ac proinde dispar obtingentium robottarum calculus relate ad integrae, mediae, quartalis, vel octavalis sessionis colonos prodire debeat. Reluitionales robottarum contractus sunt in usu peraeque in Hungaria, praesertim in iis locis, in quibus regulationi urbariali substitutum est tractamentum contractuale; quod ceteroquin praescriptis forma et modo adjustatum semper altissimae revisioni et ratificationi substerni debet, priusquam in ejusdem conformitate subditi dominiorum terrestralium tractari possint; nullus proinde hoc etiam sub obtutu relate ad limites, vel mensuram obligationum colonicalium excessus praemetuendus est.

Praeter haec austriaci coloni sunt subjecti servitutibus urbario hungarico prorsus ignotis:

a. Sic dicta orphanalia servitia (Waisendienste) quae a minorennibus pupillis in gratitudinem tutelaris curae per spatium trium annorum dominiis terrestralibus absque ulla mercede praestantur, reluitione eorundem in parata, locum non habente. Quamvis urbarium etiam hungaricum debitam relate ad pupillos eorundemque substantiam contineat provisionem — multae tamen adsunt benignae

dispositiones regiae, et in ipso codice juris leges, quibus sors orphanorum subditelae egregio locatur cardine, atque quidquid eatenus e publico disponitur, ejusdem effectus e ratione status absque ulla taxa obtinet. — Jurisdictio sedium dominalium, assistentia fisci magistratualis ex officio, tutorum vigilantia, publici comitatuum magistratus, sunt totidem testimonia administrationis legalis, quae conditioni pupillorum impenditur, et sub inspectione Consilii regii locumtenentialis, et Cancellariae regiae hungarico aulicae supremam suae Majestatis sacratissimae paternam obtinet protectionem; et solertem regiarum dispositionum effectum.

b. Laudemium, Veränderungs-Pfundgeld, et mortuarium, Todtenpfundgeld, est praestatio juxta valorem, aut aestimationem colonicalis boni occasione mutationis possessorii eruenda dominio obveniens, quae quinque pro cento efficere solet. Praestatio haec dominiis austriacis inter reales eorundem proventus merito inseri potest, quae insignia proprietatis subditelae fundorum resolutata. Hungaris non nota, si stabilirentur, ut analoga redemptio suimet ipsius in Hungaria quoque et adnexis provinciis obtineat, quanti ex pecunia redemptionali, et quotta laudemiali in commune et privatorum emolumentum prospectus! cum pro nunc hoc titulo per dominia terrestralia de urbario nihil prorsus percipiatur; sed nec leges patriae idmodi taxarum desumptionem unquam stabiliverunt.

c. Jus detractus, das Abfahrtgeld, pro ratione circumstantiarum 5 vel 10 pro centum.

d. Taxae libri fundualis, Grundbuchs-Gebühren, quae in citato opere quantitatem non determinant.

e. Taxa veniae aetatis, ubi quippe minorennibus anni ad complementum majorennitatis adhuc residui relaxantur. Quivis de inferiori statu quam sit civis, solvit a 1000 fl. 7 1/2 fl. — si substantia efficiat 2000 fl., solvit prout civis, id est pro statu 50 fl., et pro singulo anno residuo 20 fl.

f. Taxae sub nomine, die Zapfenmaß, der Taz, (dazio Venetis) und das Ungeld, pro jure epocillationis urbarialis solvi solitae.

Jurisdictio dominalis, cujus notitia una cum suis consectariis in citato germanico opere deducta habetur, secum fert, ut in singulo loco propter securitatem status possessorii subditelae adsint.

1. Liber fundualis, das Dienst- oder Grundbuch, conscriptionem fundorum immobilium cum nomine possessoris perhibens, hic liber ubivis generatim praesertim in majoribus dominiis ad expensas eorundem dominiorum confectus in archivo dominali adest, eodemque etiam plurimae communitates provisae sunt in Hungaria.

2. Liber, das Gewährbuch, possessoris titulum et jus possidendi ob legitimationem annotans.

3. Liber intabulationis, das Satzbuch oder Vormerkbuch, cui contracta onera realia secundum prioritatem temporis inseruntur; relate ad duos posteriores in Hungaria adest provisio in casu occurrente via politica:

Hinc profluit colonorum abaestimatio, quae in codice austriaco urbariali in tribus casibus, locum habet.

1. Si colonus concitator ad tumultum sit.

2. Si suas realitates ultra $\frac{2}{3}$ in valore earundem inoneret.

3. Si fundos suos supina negligentia, non obstante admonitione prorsus desolatos reddat. Quibusnam in casibus, et ob quas causas colonus e sessione sua turbari, et eliminari possit, sufficientibus pagina 326. expositum est, quorum intuitu combinatio ad invicem calculum administrationis publicae in Hungaria sustentabit uberius.

De abaestimatione fundi colonicalis in curialem in casu legis (vide pag. 38.) occasione divisionis in Hungaria locum habente, codex austriacus nihil attingit; sed similes casus admodum rari, et ex parte publici in conservationem fundi contributionalis optima provisio.

Jus montanum etiam in Austria obtinet, multa de eo occurrunt, quin ejusdem quantitas ad specificum reducta sit.

Termini: Bergherrschaft — Bergherr — Berghold — Bergdienst — Bergrecht.

Existit in eodem codice peculiaris tractatus de jure praeturali (Vogteyherrschaft), originem ab antiquissimis adhuc temporibus trahente, dum quippe domini terrestres colonos suos praesertim tempore bellorum majoris securitatis causa, potentioribus tutandos addixerunt, sub onere certae alicuius praestationis per tutelatos pendendae.

Termini: Anvogtung — Bettvogtey temporanea — Erdvogtey, perennis — Vogthert — Vogthold.

Quod desumptio decimae colonis omnes inter praestationes et servitutes maxime sit onerosa, egregie deducit Rösler, tom. 4. pag. 170 *). Ex-

*) Da der zehnte Theil eines Brutoertrags eines Grundes wenigstens der dritte Theil des reinen Nutzens ist, welchen der Eigenthümer, oder Nutznießer eines Grundes von seiner Arbeit, und den auf die Cultur verwendeten Kosten zu erwarten hat, daher auch zehentpflichtige Gründe selbst bey gerichtlichen Schätzungen wenigstens um ein Drittel, oft um die Hälfte geringer, als zehentfreye in Anschlag gebracht werden, da der Zehent als das größte Hinderniß der intensiven und extensiven Cultur von allen Öconomen anerkannt, da er selbst von der Staatsverwaltung als eine lästige Abgabe, welche den Schweiß des Landmanns besteuert, erklärt ist, da er den Betrag aller auf einem Grunde haftenden Landesanlagen weit übersteigt, und die Contributionsfähigkeit des Unterthans schwächt, so ist es strenge Pflicht, den Rechtsgrund des Zehents sowohl im allgemeinen, als in besonderen Fällen genau zu prüfen, ja nicht gesetzlose Vermuthungen für Beweise gelten zu lassen, oder wohl gar die Lücken, welche der Tractat de juribus incorporalibus hie und da zu haben scheint, mit Hypothesen auszufüllen, welche mit der Geschichte der österreichischen Landesverfassung, und oft mit dem Geist und den Grundsätzen des Tractats im Wiederspruch stehen.

Pag. 178. Suttinger will den Beweis der Zehentfreyheit allgemein auf den Zehentholden wälzen, allein seine Consuetudines Austriacae sind eine Privatsammlung, und nicht als Gesetz angenommen, — Pag. 180. Endlich hat die von den Privilegien der Kaiser und Lan-

arendatio juris decimae juxta codicem austriacum per dominia terrestralia offertur primum suae subditelae, cui penes conditiones acceptatas prae ceteris praeferentia addicitur.

Decimam (Dorfzehent) dictam, quae a pecoribus, pecudibusque, et ceteris animalibus, caseo item, butiro, ovis, etc. desummitur, rarius locum obtinere, e contra campestrem decimam (Feldzehent) communem esse, quae in musto, frugibus, praesertim, tritico, siligine, hordeo, avena, pisis, lentibus, fabis, millio etc. desumpta — magna decima nominatur, in croco, lino, canabibus, solano tuberoso, caulibus, rappis, et ceteris leguminibus, et pro ratione usus uniuscuiusque districtus decimalis isthic quoque comprehensis minoris speciei fructibus desummi solita, nomine minoris decimae venit.

Articulos decimae obnoxios in Hungaria definit clare lex, et emanatae eatenus benignae resolutiones, sufficienti documento, paucioribus longe

---

desfürsten irrig abgeleitete, und in unseren Tagen wieder zum Vorschein kommenden Hypothesen, daß die Zehente Steuern, oder landesfürstliche Regalien sind, schon Inst. Henning. Böhmer längst widerlegt, auch sind sie hier zu Lande am wenigsten anwendbar, wo es keine ursprünglich geistliche Zehentrechte gibt, wo ein sehr großer Theil der Zehente in den Händen der Layen ist, wo keine zu den Regalien zweyter Ordnung erforderlicher Vorbehalt des Landesfürsten erweislich ist, wo die Behandlungs-, Verfahrungs- und Verjährungsart der Zehnte, derjenigen, die bey Regalien gesetzlich ist, offenbar widerspricht.

articulis inesse apud nos decimae desumptionem, quae una differentiam uberius remonstrant. In reliquo in Hungaria decimam esse juris ecclesiastici, aut vero constitutivum nonae dominiis terrestralibus competentis, quibus juxta conventiones cum subditela initas, etiam decimae minutae, aut minores dictae ab iis potissimum tenutis, quae juxta praemissa in opere hoc data classem ingrediuntur, per colonos praestari debent, in Austria autem decima haec juris duntaxat saecularis sit, cuius instar desumptio nonae pro parte dominiorum terrestralium tam benigno urbario quam et ipsis patriae legibus apud Hungaros stabilita est.

Reliquis ceteroquin conformi dispositionum regiminis spiritui fundatis, necessitatem haud subversari, ut in uberiorem eorumdem discussionem, aut enarrationem procedatur, eo isthic addito, statum conditionis colonorum in Hungaria, intuitu suae subsistentiae mediorum, ita comparatum esse, ut relate ad industriam, primum liberae aquisitionis fundamentum, diversam ab invicem recipiat classificationem, quae velut parte ab altera nullatenus basim vel causam in urbariali instituto, vel subditelae tractamento quaerere, aut locare potest, ita parte ab altera, opiniones et praejudicia de conditione rusticorum in Hungaria maxime e defectu localis notitiae manifestata, non prout veritas rei, et actualis eiusdem ratio deposcit, originem habere censeri debeant, et si vel vicinorum in Transylvania, et Gallicia colonorum sors et conditio in calculum summatur, probam suppeditabunt. Non fertile solum unice, glebaque

áratro pronior, ast maxime laboris solertia, et intensior ubivis industria majora suppeditat colono subsisténtiae media. Terra avenae duntaxat in nonnullis partibus subserviens, non sementi alteri recipiendae propria, ubi accedit industria, superat terrenum, quod tritico secus destinatur, in defectu industriae fagopiro inseminari solitum; neque argumento opus sit, cum experientia doceat, populum avenaceo pane vesci suetum, in omnem industriae speciem multo proniorem esse, quam eum, qui non obstante, quod fertili solo provisus sit, existentiam suam fagopiro, quod ut panis multum industriae impedimento est, tegere debeat. Quis vero huius segnitiei fructus, quam ut in his partibus, defectu omnis generis pecorum et pecudum jam se manifestante, ruralis oeconomia extinguatur, aut hac suppressa populum huius classis miseriis et inediae immanere, oporteat. Marcescit regio, quae caret industria, et ubi haec exulat, paupertatem sequi commune est.

CONSTITUTIO

URBARIALIS REGNORUM CROATIAE ET SLAVONIAE.

Urbarialis regulatio Croatiae comitatuum Zagrabiensis, Varasdinensis, et Crisiensis.

CAPUT I.

De excisione constitutivi sessionalis.

§. 1. Siquidem diversae datiae, et servitutes urbariales qualitati, et constitutivo sessionum approportionandae essent, constitutivum autem non esset ubique aequale, verum territoriorum situi, et qualitati, beneficiis item, ac maleficiis sessionis accomodandum esset; ex eo possessionis T. fundus intravillanus unius integrae sessionis colonicalis inclusa area, horto, horreique loco duarum metretarum posoniensium capax esse debet ita, ut siquid in hujus fundi extensione a duabus metretis posoniensibus deesset, deffectus hujus in extravillanis appertinentiis, agris, aut pratis suppleatur; quidquid e contra duas metretas posonienses superare adinvenietur, illud in agros, aut prata imputetur: si autem extensio fundi intravillani tantummodo unam quartam metretae posoniensis excederet, qua exiguitas nullam attentionem meretur.

§. 2. Constitutivum extravillanum unius integrae sessionis colonicalis in terrarum arabilium

jugeribus tot, ex quibus singulum jugerum duabus metretis posoniensibus inseminari possit, prata vero ad falcatores tot, quod per annum toties falcatur, emetiri debet.

§. 3. Si vero ex terris arabilibus, aut pratis, aliquid deesset, illud sequenti modo adjustari debet, nempe; ut singulum agri jugerum pro prato unius falcatoris capace, hoc vero pro agro unius jugeri computetur ita, ut ubi talis adjustationis casus esset, ac etiam ubi deffectus fundi intravillani agris, aut pratis adjustaretur, seu unum seu aliud, subditi his fundis adjustationalibus libere absque omni praestatione fruantur, et ab usu eorundem nulla ratione arceantur.

§. 4. Quaecunque de integra sessione supra dicta sunt, ea de media, una quarta, aut una octava parte sessionis similer intelliguntur.

CAPUT II.

De beneficiis urbarialibus.

§. 1. Educillatio vini juxta articulum 36. 1550. a festo S. Michaelis, usque festum S. Georgii militis, ubi promonthoria vinearum sunt, ubi vero nulla idmodi promonthoria dantur, ab eodem festo S. Michaelis solum usque festum nativitatis domini, subditis admissa est.

§. 2. Exstirpaturas a subditis erga conscientiosam comitatus aestimationem, et pretii bonifi-

cationem recipere, et in appertinentias sessionales imputare dominus terrestris poterit.

Exstirpatitii autem fundi antiqui successive sessionales effecti, naturamque exstirpatitiorum non retinentes, aut a subditis exstirpantibus de loco migrantibus derelicti in manus alienas ita devoluti, et absque ulla mercedis, aut fatigiorum bonificatione, et investitione possessi, exstirpaturarum nomine, et redemptione non gaudent.

§. 3. Pascuum pro pecoribus subditorum, in quantum situs territorio admittit, sufficiens ordinetur, ex quo colonis cum praescitu et indultu dominali pro jugalibus suis partem excindere, et prohibere licet, ita tamen, ut propria etiam domini terrestris jugalia, nullatenus vero armentalia pecora eodem uti possint, ubi autem pascuum jam alioquin nimis restrictum esset, ibi illud seu dominorum terrestrium seu vero subditorum facto nova subaratione, aut alio modo magis non constringatur.

§. 4. Lignatio focalis, ubi sylvae praeexistunt, e deciduis, aridisve lignis, et in horum defectu etiam ex vivis arboribus, non tamen fructiferis ad propriam duntaxat necessitatem subditis licita est.

§. 5. Ligna aedilia erga assignationem dominii, et arborum designationem in territorio ejusdem loci subditis gratis concedantur.

§. 6. Si vero in proprio territorio ob exilitatem sylvarum non suffecerit, etiam in aliis dominii sylvis proportionate admittenda lignatio.

§. 7. Glandinatio subditis in territorio incola-

tus 6 xr. minore, ac extranei solvunt pretio, admittatur, in praedialibus vero sylvis beneficio hoc erga censum cum dominio pactandum fruentur.

§. 8. Si quispiam locus communibus, aut juxta sessiones excisis sylvis provisus esset, et tales pro usu suo retinere vellet, in ejusmodi sylvis lignatio focalis, et aedilis, prout et glandinatio, et gallarum collectio ad propriam necessitatem absque ulla dominio pendenda praestatione libera est, e converso dominium in tali casu lignationem, et glandinationem subditis in sylva sua dominali admittere non tenetur, nisi in communitatis, vel colonorum sylvis nullae penitus glandes procrearentur, eotum autem dominus terrestris ad rationem subditorum suorum glandinationem praeferenter eo, quo extraneis pretio admittet. Nihilominus tum harum, cum et aliarum sylvarum superinspectio penes dominium manet.

CAPUT III.

De robottis et servitutibus urbarialibus.

§. 1. Colonus integrae sessionis domino suo terrestri singula hebdomada una die ab ortu solis usque occasum imputato itu, et reditu (horis pabulationis et adaquationis exceptis, suo curru, aratro, aut occa cum duobus aut. 4. jumentis, prout nimirum hactenus in usu fuit) laborare tenetur, et non licebit 4. jugalium numerum bipartiri, ac

ad repetendum hac ratione biduo laborem colonum cogere, nisi negligentia aut culpa sua colonus ad defraudandum dominium terrestrale pauciora jugalia servet, vel minore pecorum numero ad robottam compareat, alterique pecus suum ex culpabili pecorum defectu conjungat, in locum autem unius diei jugalis laboris integrae sessionis colonus non plus, quam duorum dierum manuales labores singula hebdomada domino terrestri praestare obligatur, et sic a proportione 1/2, 1/4 aut 1/8 sessionis colonus serviet.

§. 2 Itus et reditus intuitu exorta inter dominum terrestrem, et subditum quaestio per comitatum decidatur, quantum videlicet temporis in robotta ad hanc vel illam in specifico distantiam veniat acceptandum.

§. 3. Colonus, qui e remotiori loco mediae nempe diei, vel majori etiam distantia ad robottam comparere debet, semel intra mensem continuis 4. diebus una cum itu, et reditu computandis in robotta seu jugali, seu manuali permanere teneatur, praevie tamen de hoc itinere et labore, ut se in eundem parare possit, praemonendus, et in hoc casu pecoribus aestate de sufficienti pascuo, hieme vero tam colono, quam et pecoribus de necessaria commoditate per dominum terrestrem prospiciendum erit.

§. 4. Itui ad robottam, et ex eadem reditui, in unius vel ad summum semi alterius horae distantia mensibus novembri, decembri, januario et februario crepuscula matutinum, et vespertinum ita deserviant, ut domino terrestri a so-

lis ortu usque ad occasum realis labor perficiatur, aliis vero mensibus tam itus, quam et reditus in ipsam robottam a solis ortu usque ad occasum praestandam imputetur.

§. 5. Robottam seu jugalem, seu manualem coloni tempore falcaturae, messis, et vinearum culturae, vel vindemiarum occasione duplicato, observata relate ad obtingens hebdomadale proportione, perficiant, in reliquas hebdomadas imputandam. Inquilinis a dupplicato hocce labore exemtis existentibus.

§. 6. Haec autem 4. dierum robotta occasione serventium laborum tempore messis, falcaturae, vinearum culturae, vel vindemiarum bis in mense, (intervacua pro rustico relicta una hebdomada) repeti poterit. Ceterum circa exactionem robottarum ea observetur proportio, ut ex annua competentia una adminus quartalitas pro sex hibernalibus mensibus reservetur.

§. 7. Robotalis labor si ob intervenientem pluviam, aut aliud quodpiam impedimentum peragi nequiret, pars illa diei, qua labor quidem caepit, ex praevio tamen incidenti interrumpi debuit; imputetur in robottam, si vero nihil laboravit, sed jussus tantum venit, et rediit subditus, solus itus et reditus acceptandus.

§. 8. Inquilinus propriam domum habens diebus 18. subinquilinus vero 12. diebus per annum manuali labore serviet.

§. 9. Subditus, si cui alteri manualem operam locare vellet, eandem domino suo praeferenter erga aequalem nihilominus conventionem, et

beneficium, sive erga mercedem, aut libere pactandam, aut vero in casibus de lege communi comitatus limitationi subjectis per comitatum limitandam, et instantanee parato exolvendam praestet.

§. 10. Ad robottas aere parato redimendas subditus non adstringatur, quod si tamen seu temporanea, seu perpetua conventione mediante de harum redemptione cum domino terrestri pactare vellet, id quidem praesente comitatus testimonio licitum esto, in priori nihilominus casu, si partium alterutra a temporaneo illo contractu recedere, et urbariali regulationi inhaerere cuperet, id ipsum uno anno prius declarari, et coram comitatu insinuari debebit.

§. 11. Contractus seu singillatim cum colonis, seu vero cum communitatibus de reluitione robottarum, aliarumque praestationum urbarialium ineundi fiant coram consveto comitatus testimonio. Exarendationes autem regalium, aliorumque beneficiorum dominalium, et super his, ceterisque urbarium haud influentibus, contractus absque testimonio comitatus licite semper, et valite iniri poterunt.

§. 12. Vecturam longam praeter ordinarias robottas coloni singulis annis unam praestare tenentur, circa quam observandum.

1. Quatuor integrae sessiones, et ita a proportione plures etiam minoris classis coloni conjungendo, aut modalitate qua ipsi inter se convenerint, unum currum quadrijugum praestabunt.

2. Commodo itinere peragatur, et duarum dierum distantiam ordinario eundo non excedat.

3. Tempore araturae, messis, falcaturae, et vindemiarum non exigatur.

4. In sequentem annum differri, vel aere parato, aut aliis praestationibus redimi, aliove labore commutari nequit.

5. Si vectura haec ex quopiam improviso incidenti duos dies illuc eundo excesserit, aut in reditu currus per dominium oneraretur, tam superflui illi dies, quam ipse etiam reditus ad robottam imputandi erunt.

6. In via nauli, teloniorum, tricesimarum, vectigalium, hospitiorum expensas dominium ferre teneatur.

§. 13. Lignorum focalium singulus integrae sessionis colonus quatuor jumentis provisus, ex ratione admissae sibi gratuitae aedilis et focalis lignationis, unam orgiam praevie per duos manualistas consecandam, ex sylvis per dominalem officialem designandis ad curiam vel allodium dominale, aliumve locum intra dominium destinandum devehere teneatur, et sic a proportione 1/2, 1/4, et 1/8 sessionis coloni.

§. 14. Laborem tamen hunc unius diei jugali per duas personas manuali opera hieme perficienda commutare dominio liberum esto.

§. 15. Frugum omnis generis, etiam dominalium et allodialium convectio (praeter nonae in natura praestitae, et juris montani invectionem) in robottam imputetur. Praejuncturae, et vecturae seu in privatis domini terrestris, aut ejusdem officialis, seu publicis dominii negotiis per subdi-

tos praestandae, prout et literarum deportatio, ac alius cujuscunque generis labor rusticorum (praeter illa, quae hoc, et aliis punctis expresse declarantur, in robottam imputentur.

§. 16. Ad vecturam pro pretio praestandam subditi non cogantur, verum ad libitum cum iisdem conveniatur.

§. 17. Ad feras rapaces exstirpandas subditi extra robottam triduana venatione cum dominii plumbo, et pulvere pirio tenentur, hoc tamen venationis obligamen, alia servitii specie non immutetur, neque aere vel naturalibus redimatur.

§. 18. Teloniale vectigal subditus in servitiis et robottis dominalibus, seu ad perficiendos labores suos oeconomicales, aut ad molam pro comolendis frugibus suis eundo, domino terrestri solvere non tenetur, verum si in aliis negotiis per viam telonialem proficiscatur; vel parato aere vectigal teloniale solvere, vel proportionato ad reparationem ejusmodi viarum gratuito labore concurrere obligatur, optione penes subditum eatenus relicta.

CAPUT IV.

De datiis, et reliquis praestationibus colonorum.

§. 1. Census annui titulo colonus, et etiam inquilinus domum habens solvet dominio 1 fl. in duabus ratis, festo quippe S. Georgii, et S. Michaelis; subinquilinis ab hoc casu immunibus existentibus. Si quis colonorum integras duas, aut

tres etiam sessiones colonicales fundo quoque intravillano provisas possideret, casum in eum tametsi unam solum domum inaedificatam habeat, ob usum fructum tamen harum sessionum intravillanarum totidem florenos, quot sessiones intravillanas tenet, pendere teneatur; si e contra penes plures sessiones extravillanas fundum intravillanum nonnisi pro una sessione excisum haberet, tum non obstante plurium extravillanorum possessorio, unum duntaxat florenum dominio praestare obligatur.

§. 2. Colonus integrae sessionis praestet annue dominio pullos 2. capones 2. ova 12. butyri mediam, et sic a proportione 1/2, 1/4 et 1/8 sessionis tenentur praestare.

§. 3. Coloni integrae sessionis triginta praestabunt annue vitulum unum, vel hujus loco 1 fl. 30 kr.

§. 4. Item occasione nuptiarum domini sui terrestris, nullatenus autem hujus filiorum, aut filiarum, non absimiliter etiam tempore primitiarum (exceptis tamen capitulis, et conventibus) debent moderatum subsidium in victualibus dominio praestare.

§. 5. Optioni domini terrestris relinquitur, an modo fatum subsidium in victualibus, vel loco horum ab integrae sessionis colono aequivalens pecuniarium in 48 kr., et sic a proportione ab inferioris etiam sessionis colonis percipere velit.

§. 6. Item dominum suum terrestrem bello captum e captivitate tollerabili subsidio redimere tenetur.

Item diaetale subsidium illis solum dominis, qui per consvetas regales ad comitia evocati fuerint, subditi praestent, et ne hoc debitum moderamen excedat, magistratus comitatensis invigilet.

§. 7. Crematoria olla utens solvat annue dominio duos florenos.

§. 8. Terragii conventio a terris noviter exstirpatis inter dominum terrestrem et subditum ineunda, ab antehac vero exstirpatis, usus terragii hucusque praestiti observetur, non tamen augmentetur.

CAPUT V.

De nona, et jure montano.

§. 1. Nona (ubi haec id natura praeelecta est) ab omnibus terrae nascentiis (exceptis hortensibus intravillanis) apibus item, agnellis, et haedis illo anno procreatis praestetur, et in pecunia non exigatur, nec aliis speciebus commutetur; ubi autem apes, agnelli, et haedi nonum numerum non adaequant, a singulo agnello 4 kr., haedo 3 kr. apum alveari 6 kr. dominio praestentur.

Nonae aequivalens integrae sessionis colonus redimet 12 dierum jugali, aut 24 dierum manuali labore, vel vero in parato aere 4 fl., inclusis agnellis, haedis, ac apibus; et sic a proportione 1/2, 1/4 et 1/8 sessionis colonus aequivalentis hujus obligationem feret.

§. 2. Nonatio agnellorum, haedorum, et apum ex praescripto art. 96. 1647. ultra festum S. Joannis Baptistae non differatur; frugum autem nona usque festum S. Stephani, nisi intemperies aeris obstet, desummatur, quod si vero hoc ex incidenti, aut propter immaturas fruges messis ad praeattactum terminum peragi nequiret, tali in casu comitatus tempus intra quod nona, et decima desummatur, definiet, et nisi intra id tempus exacta fuerit, subdito fruges suas nona in campo relicta abvehere liberum erit.

§. 3. A terrae nascentiis in agris, alterave vice eodem anno inseminatis, et semel jam nonam dependentibus, procreatis, amplius nec nona, nec decima praestatur, prout et ab agris in compensationem defectus pratorum, aut fundi intravillani colono assignatis nona exigenda non est.

§. 4. Nona ex canabe, et lino praestetur, aut 6. librae filaturae per unius integrae sessionis colonum, et a proportione etiam per 1/2, 1/4 et 1/8 sessionis colonos domino terrestri ex materiali dominii statuantur.

Nona ex canabibus, tam primitialibus, seu maternis sic dictis, quam et posterius evelli solitis, ac nomine spuriorum venientibus, velut utraque terrae nascentia, incluso etiam semine sub nonam cadente praestetur.

In locis illis, ubi nona in natura locum habet, si dominus terrestris secundum delatam sibi optionem, an videlicet ex canabe et lino nonam in natura, vel vero loco hujus filaturam praeeligere velit? nonam praeelegerit, eidem praeter

hanc, filatura in posterum non competet: si vero filaturam praeelegerit, haec juxta praescriptum urbarii a proportione capacitatis sessionum praestabitur.

Ne tamen contribuens plebs damnificetur, domini terrestres canabes linumque non corrupta, aut madida, verum ad nendum apta et idonea, hocque fine praevie bene exsiccata, et expurgata pro perficienda per colonos filatura praestent.

In locis denique illis, in quibus nona in aequivalenti locum obtinebit, cum in hoc aequivalenti jam etiam nona ex canabe et lino inclusa habeatur, adeoque praestationem hujus vel in pecunia vel in robottis ingrediatur, filatura hic locum non habebit, secus namque sub uno, eodemque titulo canabes et linum contra omnem aequitatem duplicem praestationem cum onere contribuentis plebis subire deberent.

§. 5. Decima ab illis solummodo rerum speciebus, quae art. 1. 1481. comprehenduntur, desummatur.

Ut tam domini terrestres, eorundemque officiales, ac etiam subditi ad praecavenda quaevis subterfugia, antevertendosque excessus species illas, quae in citato art. 1. 1481. nominantur, clare et diserte scire valeant, species eaedem sunt sequentes, utpote: vinum, agnelli, apes, purum, aut siligine mixtum triticum, millium, siligo, hordeum, et avena; decima fagopiri, (tritici turcici) simpliciter ita abrogatur, ut nequidem in contractibus modalitate urbarialiter praescripta ineundis inserenda admittatur.

§. 6. Nona vini eadem mensura, qua ipsa procreatio mensuratur, et quidem urna posoniensi a 32 pintis computata, atque ex eadem specie, cujus est procreatio, absque omni additamento exigatur: pariter jus montanum non alia, quam posoniensi mensura a 32 pintis, seu 64 mediis ad unam urnam posoniensem computanda desummatur.

§. 7. Ubicunque a tempore conditi articuli 97. 1715. vel ipsa antehac praestiti, vel in promonthoriis a modofato anno noviter implantatis scriptotenus vel secus etiam conventa musti quantitas per aliam a posoniensi differentem, adeoque abusivam mensuram adaucta, vel vero aliae quaepiam novae praestationes introductae fuissent, hae omnes, qua illegales, et excessivae mox sufferantur, ac ipsa quantitas juxta citatam antiquam consvetudinem, et novam conventionem praestanda ad mensuram posoniensem reducatur, et taliter reducta ulterius etiam praestetur.

Ubi vero post annum 1715 novae vineae plantatae sunt, et juris montani praestatio per contractum, conventionem, aut alia modalitate accomodata est, ibi jus montanum ad mensuram posoniensem reducendum ultroquoque in suo esse maneat, et novae nefors praestationes inductae cassentur.

§. 8. Ne jus montanum taliter reductum in posterum quoquomodo augeatur, in singulo loco, ubi illud desummitur, specifica vinearum et ab his obvenientis juxta mensuram posoniensem juris montani sub authentico comitatus expediatur connota-

tio, tam apud dominum terrestrem ac subditum, quam et comitatum asservanda.

§. 9. Si in promonthoriis nulla plane esset vini procreatio, in tali casu, jus montanum primum ex subsequi anni procreatione in natura, nullatenus aere parato exigendum, et praestandum erit.

CAPUT VI.

De juribus et proventibus dominalibus.

§ 1. Caduca subditorum bona per subditos non usurpanda, sed illico dominio detegenda, et prout haec, ita et profugorum bona salvo articulo 18. 1723. dominus terrestris sensu tit. 30. part. 3. recipiendi, jure, et aere alieno praevie deducto, habet facultatem.

Caducitatum negotia per solos dominales officiales deinceps non tractentur, sed in sede dominali juxta praescriptum tit. 30. part. 3. assummantur, et determinentur, ibidemque determinata ad sedriam comitatus referantur.

§. 2. Desertae sessiones, et omnes alii fundi conscriptionem portarum jam subingressi, per subditos ob severiorem tractationem dominorum terrestrium profugientes derelictae, profugis non revertentibus, novis colonis tradantur, aut in loco degentibus subditis, erga praestandas juxta modernam regulationem proportionatas servitutes, et datias attribuantur.

§. 3. Venatio omnis generis, aucupium, et piscatio juxta art. 18. Ulad. dec. 5. et 22. 1729. praecise ad jura dominii spectant, adeoque subditis strictissime inhibentur.

§. 4. Educillatio vini quamvis subditis ad certum tempus competat, in dominali tamen diversorio cujusvis potus epocillatio per totum annum salva manet; ita etiam omnis cremati, et cerevisiae educillatio, ac ejusmodi liquorum praeparatio praecise ad jura dominalia pertinet.

§. 5. Educillatorem dominalem agens subditus ab hebdomadali servitio liber est, et insuper a singula urna educillati potus 4. denariorum merces eidem per dominium dependatur.

§. 6. Proventus fori, nundinarum (nisi ipsi communitatibus privilegialiter collati esse dignoscantur) macelli item, et telonii legitime constituti, velut jura dominalia, et respective privilegialia domino terrestri in salvo maneant.

CAPUT VII.

De excessibus, et injustis modis, qui huc usque prohibiti erant, et modo prohibiti manent.

§. 1. Orphanorum, et post defunctos subditos relictae substantiae cura dominio terrestrali incumbit, idcirco taxarum, conscriptionisque bonorum, seu substantiae demortuorum subditorum,

instituendae item inter pupillos divisionis, quocumque demum nomine compellatorum desumptio penitus suffertur.

§. 2. Laudemia, et taxae litterarum gueralium, non secus decimalitas pretii rei testamento legatae, cambiatae, aut venditae per dominum terrestrem desummendae abrogantur.

§. 3. Emptio et venditio tabacae, melis, cerae, butiri, lini, canabum, aliorumque naturalium cuicumque, et a quocunque voluerint, subditis libera sit, et per dominium nullatenus turbentur, multo minus contrabanda, aut alia pecuniaria, vel corporali poena subditi quaestum cum naturalibus indultu b. urbarii exercentes puniantur.

Praeemptio dominio terrestrali indultu artli. 75. 1723. deposito instantanee libere convento pretio, ad solam dominii necessitatem intellecta, et justo rerum pondere, et mensura observatis, ea lege admittitur, ne per hanc extranei emptionis causa ad territorium venire volentes, seu facto, seu mandato arceantur, multo minus subditi res suas venales alio devehere prohibeantur, aut tales iisdem detineantur, prout neque ad vendendum domino suo, si nolint, adstringantur.

§. 4. Monopolia sicuti positivis legibus vetita sunt, ita nec arendationes rerum, et naturalium ad quaestum pertinentium cum exclusione, aut restrictione subditorum fiant.

§. 5. Molis dominalibus uti subditus non stringatur, sed liberum eidem sit, ad alias etiam molas fruges suas devehere.

§. 6. Arenda Bahnweingeld dicta per abusum introducta simpliciter suffertur.

§. 7. Fimi praestatio pro futuro ea ratione suffertur, ut subditi proprium fimum nunquam, dominalem autem nonnisi cum imputatione ad robottam ad locum per dominium designandum vehere teneantur.

§. 8. Decimatio plumarum, et deplumatio anserum subditorum, qua illegalis, et insolita dominio vetita est.

§. 9. Ad vites religandas subditus stramen dominio subministrare non obligatur.

§. 10. Merces custodibus vinearum dominalium, et revisoribus laborum hactenus per subditos soluta, tollitur.

§. 11. Executoribus dominalibus praeter grossum executionalem nihil praestetur, adeoque intertentio, ac alia quaevis parati aeris diurna solutio suffertur, ita etiam quaecunque hajdonum et venatorum dominalium exactiones abrogantur.

§. 12. Pecuniae a subditis titulo securitatis de non profugiendo haud exigantur, ac nefors jam exactae una cum interusurio restituantur.

§. 13. Praestatio pecuniarum quarterialium ac census hussaren, et Montirungsgeld dicti penitur abrogantur.

§. 14. Communitatibus locorum macella exarendantium elustrata pecora emacillanda non imponantur: caro quaecunque seu frustratim, seu libratim inter subditos non distribuatur, pretio exolvenda, sed emacilletur, et per subditos cum libertate sine aggravio ematur, ita etiam in locis illis, ubi

macellum subditis exarendatur, iidem per dominium ad emacillationem elustratorum pecorum non adigantur.

§. 15. Naturalia, et victualia subditis ad emendum, et vendendum non obtrudantur, prout nec corrupti vini, et cremati, alteriusque potus educillatio, et distractio iisdem seu vasatim, — seu mediatim imponatur, super cujusmodi liquoribus illi nec respondere, neque vacua vasa extra robottam vehere teneantur.

§. 16. Pennaticum, et taxae messorialis, non secus pintae gustatoriae, et schaedalis, ac torcularis pecuniae vulgo Presgeld dictae exactio, prout et decimatoribus. ac nonatoribus per subditos praestanda intertentio, et alii eorundem abusus et excessus penitus sufferuntur.

§. 17. In collectione vini nonalis, aut decimalis, jurisque montani ad suppeditanda vasa propria non adigantur.

§. 18. Praestationes naturalium, et quarumvis datiarum in moderna regulatione non contentae penitus abrogantur.

§. 19. Cambiatio fundorum sessionalium in quantitate, qualitate, et fructuositate aequalium dominio licita, secus accepti fundi per dominium in specie restituendi.

CAPUT VIII.

De iis, quae colonis prohibita sunt, et statutis eatenus poenis.

§. 1. Birsagia, seu mulctae pecuniariae sub quocumque excogitabili praetextu non alias, quam in expressis lege regni casibus solum, a subditis in sedibus dominalibus praesente comitatus testimonio legitime convictis, salva ad sedriam comitatus appellata desummantur.

§. 2. Non absimiliter circa mulctas praeterbirsagiales dum de damno in campis illato, et de invagiatione pecorum, et pecudum agitur, provisio legis observetur.

§. 3. Excessuosi subditi extra casus lege decisos, et in punctis urbarialibus specificatos; nec pecuniaria, nec corporali poena afficiantur, verum unius, duarum, aut ad summum trium dierum manuali robotta (araturae, messis, falcaturae, et vindemiarum tempore haud exigenda) puniantur.

§. 4. Si subditi non attenta 3. dierum manualis robottae mulcta ultro excederent, iidem extra casus gravioris delicti per sedem dominalem decidendos, etiam commensurata delicto corporali poena ita castigandi erunt, ut haec si excedens fuerit sanus, et fortis constitutionis, 24. baculos, vel apud sexum sequiorem totidem scuticas non excedat. — Si vero delinquens senio confectus, aut secus etiam debilis complexionis fuerit, ad summum 3. dierum carcere pro ratione circumstantiarum etiam in pane, et aqua subeundo puniatur.

§. 5. Ad carceres dominales conjiciendus, et invinculandus subditus pro incompedatione, ubi taxa quaepiam viguit, non plus quam 15 xr. solvat.

§. 6. Exstirpaturas absque indultu dominii sub poena amittendae mercedis, et onere refusionis causati damni facere subditis, non licet; e converso domino terrestri fundos jam exstirpatos non secus, quam erga conscientiosam comitatus limitationem a subditis recipere integrum est.

§. 7. Sylvas conservare dominii interest, ideo nulli subditorum vivas arbores, vel virgulta pro sepibus, vel perticas pro circulis, aut palos absque speciali indultu dominii succidere, et in aliud terrenum transferre, et vendere, ac per consequens quaestum cum lignis exercere licitum erit.

§. 8. Sylvas succidentes, aut decorticantes subditi ad damnum resarciendum, triumque insuper dierum perficiendum manualem laborem obligantur, poena nihilominus hac non deterriti, penes magistratualem asistentiam pro qualitate gravioris delicti severe aliorum pro exemplo puniantur.

§. 9. Collectae pecuniariae, aut naturalium intra subditos sub poena 24. baculorum vetitae.

§. 10. Sabellicorum dolosa ad sylvas dominales impulsio, et in loco prohibititio deprehensio duplici pro subditis limitatae glandinationis taxa mulctetur.

§. 11. Gallarum collectio, et glandium decussio praeter poenam contrabandae, trium dierum manuali labore puniatur, et e converso nec dominio licebit subditos ad colligendas extra robottam gallas adstringere.

§. 12. Arma gestare, et venaticos canes servare sub trium dierum manualis laboris poena subditis vetitum est.

§. 13. Epocillatio cujuscunque potus sub tempus educilli dominalis subditis sub poena contrabandae, et triduani laboris manualis interdicitur, in locis tamen promontoria habentibus subditis propriae in territorio dominali procreationis vinum etiam intra praedictum tempus pro domestica necessitate inducere, et illud bibere liberum est.

§. 14. Subditus citatus ad robottam ob negligentiam, aut ob aliam illegitimam causam non comparens, 12. baculorum poena puniendus.

§. 15. Macelli dominalis in praejudicium ab extraneis locis carnem inducens, vel ipsemet erga pretium emacillare attentans subditus, praeter contrabandam toties, quoties trium dierum manuali labore puniatur.

§. 16. Viduae subditorum praescripto art. 21. Ulad. decret. 7. semet conforment, adeoque si alteri nupserint, sine indultu dominii terrestralis e domo recedere nequeant, secus substantia earundem dominii arbitrio subjiciatur.

§. 17. Mutuum communitatis nomine absque praescitu domini terrestris, contrahendum interdicitur.

§. 18. Advenae ad dominium sine scitu dominali non recipiantur; venditiones, emptiones, cambia, et legata quorumvis fundorum sessionalium sine scitu dominali sub amissione summae investitae prohibentur, exceptis casibus, in quibus coloni de lege liberam vendendi facultatem habent,

quod quamvis cum praescitu dominii agere debeant, vendere nihilominus facta jam praevie insinuatione, etiam absque annutu dominii possunt.

CAPUT IX.

De iis, quae ad internum bonum ordinem referuntur.

§. 1. Pro judice dominium 3. candidet, et ex illis communitas unum in praesentia dominalis officialis eligat, quem dominium pro demerito amovere, et punire potest, in cuius demum locum alter praescripta modalitate substituendus erit; notarium nihilominus ipsa communitas sine dominii influxu eligere, et dimittere poterit.

§. 2. Judices sub qualicumque praetextu a contributione non eximantur.

§. 3. Rationes a judice, sine tamen subditorum aggravio dominium exigat.

§. 4. Rationes a judice exigere intermittentis dominii neglectum magistratus comitatensis suppleat.

§. 5. Incassatio quanti contributionalis, et ad cassam comitatus deportatio praecise penes locorum communitates, et judices pagenses maneat, invigiletque comitatus, ne dominium aut ejusdem officiales in hanc semet immittant.

§. 6. Obtingentias dominio juxta modernam urbarialem regulationem competentes, subditi rite dependant, et in casum morositatis executione etiam mediante ad depensionem suarum obtingen-

tiarum stringantur, quo in casu illis tantum executoribus, qui pro executione realium restantiarum, non autem in aliis dominalibus negotiis exmittuntur, grossum executionalem dietim persolvere obligantur.

§. 7. Querelam ponentes injuriati, aut pressi subditi, ut eo celerius satisfactionem consequi possint, si querela quempiam ex subditis dominalibus feriat, casu in hoc ab ipso domino, vel ejus officialibus justitiae administrationem quaerant, per ipsos vero officiales dominales injuriati ad dominum terrestrem recurrant, et ab eodem satisfactionem non obtinentes, ad comitatum semet convertant, si autem querimoniae ipsum dominium terrestrem respicerent, et erga preces suas remedium consequi nequirent, eotum directe ad comitatum recursum summendum habebunt.

§. 8. Rusticos propter recursum ad comitatum, vel superiores instantias factum punientes domini terrestres, vel horum officiales, velut in subditos saevientes considerentur.

Benigna resolutio regia fundamentalis in urbarialibus ad comitatum Zagrabiensem die 27. *novembris anno* 1780. *nro.* 7145. *via Consilii regii locumtenentialis emanata.*

Illustrissimi etc.!

In ordine ad relationem per dominum comissarium regium Joannem Bako in gremio comitatus hujus Zagrabiensis operantem super universa re-

gulatione urbariali in comitatu hoc jam introducta praestitam, abhinc una cum cohaerentibus actis, et instantiarum protocollis suae Majestati sacratissimae humillime repraesentatam, dignabatur altefata sua Majestatas caesareo regia ad obtinendam memoratae urbarialis regulationis consistentiam ac pacem et tranquillitatem publicam conservandam sequentia clementer resolvere, et quidem.

(Quoad dimensionem tenutorum colonicalium, elaborationem tabellarum urbarialium, et reductionem praestationum ad suam competentiam.)

1. Cum ex protocollis instantiarum clarum sit, dimensiones dominales, si non ubique, saltem apud aliquos dominos terrestres gravibus scatere deffectibus, jam vero dimensionibus dominalibus fundamentum universae operationis effectis, quae justitia, et qualis pax, tranquillitasque publica sperari possit, suapte consequeretur.

Ex eo priorum in consequentiam praetitulatis dominationibus vestris ultro, ac serio comittendum habet Consilium hoc regium locumt., ut ubi ubi subditi dimensione dominali se gravatos esse, sive jam conquesti sunt, sive in futurum conquererentur, publici geometrae ad faciem locorum exeant, et in praesentia unius magistratualis personae probas dimensionum dominalium non ubi eis placet, sed in fundis et locis, in quibus querulantes subditi injuriam suam latere exposuerint, omni cum accuratione instituant, an et quales defectus compererint; iidem geometrae cum adjunctis magistra-

tualibus personis sincere referant, dein autem in casum comperiendorum deffectuum publicum sic disponat, ut dominus terrestris intra trimestre spatium adaequatam dimensionem, producere debeat, quae postea sive producta fuerit, sive non, exequentes nihilominus magistratuales novam regulationis tabellam, et quidem si dominus terrestris adaequatam dimensionem produxerit, ex hac, secus vero ex revelatis subditorum mox et indilate conficiant, et publico exhibeant, quae demum in 4. exemplaribus expedita, priorum loco, dominis terrestribus et subditis extradetur; in 3. autem exemplari horsum submittatur, et in 4. ad acta regulationis in archivum comitatus reponatur; quodsi tamen aliqua loca, quorum praeexistens dimensio probanda et noviter instituenda veniet, intra praestitutum 3mestre spatium dimetiri non valuerint, super ejusmodi geometrica dimensione cur ad finem perduci haud queunte, ratione quoad singulum locum assignata, desuper adaequata informatio praestetur.

Quia vero damna et aggravia, quae ex erroneis ejusmodi dimensionibus in contribuentem plebem dimanarunt, bonificari omnis justitia exposceret, ac interea etiam, donec dictae dimensiones modificatae, statusque urbarialis ad suam plenam et veram consistentiam positus fuerit, securitati publicae consulendum foret.

Hinc praetitulatas dominationes vestras eo serio et efficaciter inviari, ut subditis hac de re conquerentibus in omni sinceritate declaretur, quod dimensiones dominales per impartiales publicos geometras

in facie locorum omnino revidebuntur, et si in his defectus comperti fuerint, non tantum errores in regulatione eorum comissi modificabuntur, sed etiam praestationes urbariales ultra competentiam exactae ipsis rite bonificabuntur, cujus ad effectum exequentes magistratuales mox instruantur, ut dum novam regulationis tabellam efformaverint, una super excessive desumptis praestationibus urbarialibus calculum eruant, et secundum hunc injuriatis instantaneam bonificandorum bonificationem procurent, desuperque genuinam ac specificam relationem exhibeant, isthuc submittendam.

(Quoad correctionem defectuum in commassatione tenutorum diversae indolis, item refusionem illegalium exactionum, et fundorum exstirpatitiorum reluitionem.)

2. Observato eo, quod domini terrestres non tantum fundos colonicales oneribus urbarialibus subjectos, sed etiam juri montano obnoxios, censualisticos item, et extirpatitios nec non aere in perpetuum comparatos dimetiri, et cum fundis sessionalibus commisceri curaverint, quibus e praevia dimensione regulationem urbarialem subingredientibus miseri contribuentes onera urbarialia ab iisdem contra omnem aequitatem ac ipsa regulationis principia supportare debentes magnopere damnificantur.

Quemadmodum idcirco enati per praeviam fundorum commixtionem, et in constitutivum imputationem, in regulatione urbariali defectus in manifestam contribuentium damnificationem ver-

gerent, et cum benigne praestabilitis regulationis principiis nullatenus conciliari possent, ita hac etiam in parte praetitulatis D. vestris comitti, ut super praemissis defectibus non tantum respectu querulantium, sed ne acta urbarialia non sine operoso labore continuo modificari debeant, in aliis etiam locis medio exequentium magistratualium adaequatae investigationes peragi curentur, ac una efficaciter agatur, ut comperti rementionati deffectus indilate corrigantur, et exactiones a fundis ad regulationem urbarialem non spectantibus incompetenter desumptae injuriatis una cum interesse bonificentur, sicque actis urbarialibus hac etiam in parte ad plenam consistentiam positis, non tantum ulteriores confusiones, et motus in plebe antevertantur, sed etiam ipsis dominis terrestribus, quibus superflue exacta refundere, et injuriatos indemnes reddere semper incumbet, consulatur, salva ceteroquin benigna dispositione illa, ut fundos extirpatitios, si his praeter mercedem laboris nihil inhaeret, conformitate b. normalis resolutionis, et respectivi benigni urbarii puncti 2. dominis terrestribus reluere, et volentibus subditis in sortem fundorum sessionalium assignare liberum sit, qui vero fundi extirpatitii summis inhaerentibus affecti sunt, talium nisi annorum vel perpetuitatis conditiones obstent, in sortem constitutivi imputandorum investiturae possessoribus rite depurentur.

(Quoad imputationem dumetorum, vepretorum et paliseciorum in constitutivum sessionale qualiter instituendam.)

3. Quamvis .b resolutio regia sub 28 januarii 1775 intimata eas, quibus dumeta, vepreta et palisecia in constitutivum imputanda provisa esse debent, qualitates diserte praescriberet, neque aliud superesset, quam ut praetitulatae D. vestrae, eorundemque exequentes magistratuales benignae huic resolutioni regiae semet accommodarent, cum nihilominus in comitatu hoc omnis generis sylvas pro paliseciis, dumeta vero et vepreta talia etiam quae nunquam arata, sed semper solo necessarii pascui nomine usuata erant, dimensa, et per exequentes magistratuales pro constitutivo in ea plane quantitate assumpta esse observaretur, ut perhibentibus actis urbarialibus aliqui subditi plus de dumetis, vepretis, et paliseciis, quam de agris et foenilibus tabellis urbarialibus inscriptum habeant, idque eo majori ipsorum cum aggravio, et publici detrimento, quod praeattactis dumetis et vepretis nec in agros converti queuntibus, et omnis generis sylvis pro fundis sessionalibus assumptis, miserisque hominibus beneficio alterius pascui destitutis, inde non onera tantum urbarialia contra praestabilita regulationis principia notabiliter accrescant, sed etiam spectato intrinseco ejusmodi fundorum valore, res vix tantum valeat, quantum miseri contribuentes de anno in annum titulo obventionum urbarialium ab iisdem praestare deberent, ut vel ex hinc pateat, quanta inser ipsos subditos induceretur improportio, si nimirum alii constitutivum

sessionale in meris agris et pratis obtinentes, fructum omnium tenutorum suorum caperent, aliorum vero sessiones potissimam partem ex ejusmodi fundis sterilibus conflatae nec dimidium fructificarent, unde suapte sequeretur, imputationem quaestionatorum dumetorum, vepretorum, et palisieciorum per b. resolutionem regiam talibus sub conditionibus admissam esse, quibus ádimpletis objecta haec constitutivi in fructu et utilitate sua agris et pratis exaequari et assimilari possint, cum denique pax, et tranquillitas publica tamdiu sperari non possit, donec nova haec urbarialis regulatio secundum ea, quae tam operoso labore constabilita sunt, principia ad plenam consistentiam suam, hacque ratione subditis secus querulari nunquam cessaturis quies procurata fuerit.

Idcirco in sequelam etiam b. resolutionis regiae sub 11. mensis maii anni decurrentis intimatae, eisdem D. vestris denuo intimari, ut in ordine ad quaestionata dumeta, vepreta, et palisecia in constitutivum sessionale imputanda ad antevertendas ulteriores confusiones, et majora dominorum terrestrium dispendia eaedem praecitatae b. resolutiones regiae sic effectuentur, ne aggraviis aut plane tumultibus plebis ex injuriosa ejusmodi fundorum imputatione progressu etiam temporis evenientibus, illi ad quos res attinet, grave superinde responsionis onus subire, domini vero terrestres damna et injurias subditis causatas non sine gravi suo incommodo sarcire debeant, ad haec igitur antevertenda

exequentes magistratuales eo ultro instruantur, ut circa praemissa constitutivi objecta, institutis seriis investigationibus, sepositisque omnibus ambagibus rem praecise tenoribus benignarum resolutionum regiarum accommodent, et in re tam momentosa omnem praecautionem adhibeant, sequaciter dumeta, vepreta, et palisecia in eo tantum casu pro objecto constitutivi assummant, si illa qualitatibus per b. resolutiones regias defixis plene et adaequate correspondere adinventa fuerint, sequaciter subditi beneficio pascui, et lignationis aliunde sufficienter provisi extiterint, et id quidem tanto a fortiori, quod regni hujus partibus in eo etiam prospectum sit, ut in quantum subditi ultra necessitatem pascui et lignationis sylvas possiderent, hasque ultro retinere cuperent, ab his rite conscribendis, et ad praescriptam tabellam referendis hebdomadales urbariales robottas praestare obligentur, ut adeo altissima hac resolutione regia in favorem dominorum terrestrium edita, reliquum sit, ut sylvae pro paliseciis in constitutivum improprie imputatae, e tabellis urbarialibus expungantur, et ad tabellas sylvarum ita referantur, ut si has subditi illi, ad quos hactenus pertinebant, erga hebdomadales robottas possidere volunt, penes eos ultro relinquantur quodsi vero hi tales retinere nollent, aliis praeferenter tamen domesticis, dein autem extraneis etiam elocentur, sicque et domini terrestres juribus et beneficiis suis utantur, et fundo publico prospiciatur, taliterque benigne praestabilitis regulationis principis rite adimpletis, et omnimode observatis, in-

juriatis subditis omnis justitia administretur, ac etiam respectu causati damni pro practerito adaequata eisdem una cum eo, quod interest, satisfactio tanto efficacius procuretur, quod peculiari hocce beneficio soli regno Croatiac benigne admisso nec Hungaria nec Slavonia gaudere possit.

(Quoad lignationem in sylvis subditelae competentem.)

4. Prodeunte e querimoniis subditorum eo, quod sylvis per ipsos hactenus possessis in sortem constitutivi imputatis, eisdem in remotissimis aliis dominalibus sylvis lignatio assignata sit, vigore autem benigni urbarii puncti 2. §. 8. diserte praescriberetur, ut si subditi in praehabitis sylvis sive communibus, sive ad sessiones spectantibus persistere vellent, illi in talibus ultro conserventur, et dominus terrestris lignationem in sylva eisdem admittere non teneatur, sed et per imputationem ejusmodi sylvarum, et alibi factam beneficii lignationis assignationem subditi tum ideo quod a praeattactis sylvis in sortem constitutivi prorsus incompetenter imputatis onera urbarialia supporrare deberent, cum vero, quod lignatione remote assignata, beneficio hujus vix aliquando uti, et frui possent, contra omnia regulationis principia magnopere gravarentur.

Proinde cae seriae et efficaces dispositiones ex parte praetitulatarum D. vestrarum fiant, ut ubi subditi sylvis sive communibus, sive ad sessiones suas spectantibus provisi sunt, hasque illi in sor-

tem lignationis retinere desiderant, tenore praeallegati benigni urbarii in praehabito talium usu, et possessorio tanto certius relinquantur, et a beneficio lignationis alibi assignando abstrahantur, quanto minus praememoratae sylvae, salvis in hoc quoque regno praestabilitis regulationis principiis in sortem constitutivi imputari possunt.

(Quoad lignorum distractionis beneficium, lignorum item sectionem, et convectionem.)

5. Siquidem post Consilii hujus regii locumtenentialis dispositiones sub 4. februarii, et 30 martii anni decurrentis in eo factas, ne videlicet subditi in praeusuato lignorum distractionis, et quaestus beneficio per dominia arceantur, et ubi subditi beneficio lignationis fruuntur, illi, qui jumentis provisi sunt, nonnisi ad convectionem, his vero destituti ad solam a proportione sessionum suarum lignorum orgialium consectionem teneantur, novae iterum instantiae exhibitae essent, quibus miseri contribuentes praeattactae lignorum distractionis beneficium maximum vitae suae, et supportandorum onerum medium sibi ultro negari, lignorum vero consectionem, et convectionem ab uno eodemque desiderari sensibiliter exponunt.

Ideo praetitulatis D. vestris ultro comitti, ut sub praecitato dato abhinc factas dispositiones, tanquam in generali regulationis urbarialis sistemate fundatas, non tantum in suis congregationibus publicent, sed etiam ad effectum eo modo dirigant,

ut eaedem dispositiones subditis illico notae reddantur, et a dominis terrestribus rite observentur, contra excedentes vero praescripta modalitate procedatur, sicque miseris contribuentibus pax, et tranquillitas procuretur, in quantum vero unus idemque colonus contra benignum sistema urbariale ad consectionem simul, et convectionem lignorum orgialium dominis terrestribus ex urbario competentium adactus fuisset, eidem pro praeterito adaequata compensatio praestetur.

(*Quoad subditelam a praehabitis pascuis haud arcendam, eidemque taxas hoc titulo desumptas restituendas.*)

6. Subditis in eo etiam querulantibus, quod in sylvis praecise dominalibus, aut etiam communibus liberam ab olim pascuationem exercentes, nunc ab ea arceantur, quod item ex mappalibus, et remotioribus vicis ad robottam dominalem venientes, ibidemque proprio destituti dominali pascuo utentes, illius taxam persolvere debeant.

Cum autem benigna exequentium magistratualium instructione provisum esset, ut subditi in praehabitis pascuis, ubi praesertim talia satis angusta essent, ultro conserventur, dum autem subditi e remotioribus locis ad robottam dominalem veniunt, ut dominium vel animalibus ipsorum de gratuito pascuo provideat, vel vero pro iisdem in propriis pascuis pabulandis sufficiens tempus admittat, res ipsa exposceret, ne secus miser

contribuens alimento animalium destitutus, et illegali nomine pascui taxarum solutione gravatus rei suae domesticae jacturam pati debens, ad ferenda onera privata et publica incapax reddatur, alioquin autem vi benigni urbarii puncti 3. §. itidem 3. et respective 6. in favorem dominorum terrestrium admissum haberetur, ut subditos suos una vel media die distantes continuis 4. diebus in robotta detinere, eisdem nihilominus aestate de pascuo, in hieme vero de hospitio providere debeant.

Eas proinde providas dispositiones facturae sunt praetitulatae D. vestrae, ne subditi a praehabitis pascuis contra clarum benignae instructionis regiae sensum arceantur, e locis vero remotioribus ad robottam dominalem venientibus, vel de animalium pascuo dominia providere, vel vero pro pabulandis in propriis pascuis animalibus suis sufficiens tempus admittere, taxas autem hucadusque miseris contribuentibus restituere debeant.

(*Quoad pratorum falcabilium imputationem.*)

7. Gravem esse etiam subditorum querimoniam, quod prata semel tantum falcabilia, partim pro raro, partim vero pro semper bis falcabilibus imputata sint.

Cujusmodi erronea imputatio, cum praeterquam quod in grave miserae plebis aggravium vergat, eamque inquietam reddat, nec justitiae, nec systemati conveniret, ideo easdem D. vestras serio pariter, ac efficaciter reflecti, quatenus hu-

jusmodi querimoniae indilate investigentur, et pro compertis ejusmodi defectibus, regulatio urbarialis modificetur, miserisque contribuentibus eatenus iujuriatis omnis et pro praeterito, et pro futuro fatisfactio impendatur.

(Quoad praestationem robottarum, itus et reditus imputationem, longas vecturas, et colonorum mulctas.)

8. Relate ad complures querimonias in eo positas, quod dominia terrestralia, eorumque dominales officiales nullam interpretentur, et agant, dum videlicet

Itus et reditus in sortem robottarum imputandi nullam rationem habent, vecturas bijugis ita onerant, ut miseri contribuentes imposita onera 4. jumentis promovere debentes, nonnisi bijugae robottae imputationem obtinent.

Robottas urbariales potissimum in longas vecturas ad plurium dierum distantiam magnis subditorum impensis, et rei domesticae neglectu applicant.

Has tamen non hebdomadatim, ac ut praescriptum est modalitate, ut ad minus quarta pars pro mensibus hibernalibus remaneat, verum ita cumulatim desummunt, ut multi totius anni robottarum obtingentiam jam pridem explere debuerint.

In robotta constitutis pro quiete et animalium pabulatione per totam diem alii unam, alii tantum mediam horam concedunt.

Laborem unius diei sic praestiterunt, ut si

hunc eodem die subditus perficere non possit, altero citra imputationem complere debeat, denique

Cum poena triduani laboris et baculorum adeo liberaliter dispensent, ut nullo eorum demerito, prout officialibus dominalibus placet, puniantur, et affligantur.

Quae omnia cum positivis b. urbarii dispositionibus adversarentur, ex hacque contribuentium afflictione, et persecutione nonnisi ingratae sequelae, expectari deberent, hisce sub onere responsionis et omnis damni, cum eo, quod interest, pro futuro etiam, refusionis intimari; et quidem.

Relate ad sufferendas circa itus et reditus imputationem ulteriores quaestiones D. vestras ad praescriptum b. urbarii puncti 3. §. 2. inviari, una vero pro effectu hocce in §. contentae, et de imputatione temporis in itum et reditum inter dominum terrestrem, et subditum qualiter acceptanda sonantis dispositionis, tabellam quoque, quae in regni Hungariae pluribus comitatibus idcirco elaborata, et per suam Majestatem sacratissimam clementer approbata est, pro exemplo eisdem pro sui directione transmitti, quo eaedem V. dominationes parte quoque ex sua conformes, reflexe tamen ad practicabilitatem et impracticabilitatem viarum, virium item pecorum, quoad gremialia sua dominia et loca, fieri curent tabellas, easque per se revisas, et authenticatas ad exigentiam idcirco sub 1. octobris 1776. interventae b. resolutionis, non modo dominio, sed et ipsis colonis in uno exemplari pro eorumdem necessaria ci-

nosura, et notitia, observandorumque observatione extradent, unum vero ex his exemplar isthuc submittant.

Et quia circa onera currubus subditorum imponenda nihil certi statui posset, ideo in his onerandis, virium dumtaxat et roboris jumentorum, ac temporis, viarumque commoditatis ea semper habeatur ratio, ne per excessivum et improportionatum onus pecora contribuentium ultra modum, et notanter eam, quam ipsi subditi vecturam pro se exercentes communiter adhibere solent, mensuram graventur, cum secus omnis damni refusio, excessuumque bonificatio dominia semper sit mansura.

Cum item urbariales robottae hebdomadales sensu b. urbarii in usus et operas domesticas citra aggravium sumptuum ad propriam et animalium intertentionem subditis causandorum, neutiquam autem in longas plurium dierum vecturas in expensis subditorum praestándas impendi debeant, ideo subditis in sensu b. urbarii puncti 3. §. 12. per decursum unius anni nonnisi unam longam vecturam praestare obligatis, dominia terrestralia a robottis hebdomadalibus in ejusmodi longas vecturas cum insupportabili miserorum hominum aggravio convertendis, non tantum pro futuro supersedeant, sed etiam pro praeterito causatos hoc titulo sumptus miseris contribuentibus refundant.

Dein vero circa desumptionem robottarum praescriptam b. urbarii puncto 3. §. 6. modalitatem sic observent, ut hae non cumulatim, verum heb-

domatim, statisque temporibus ita exigantur, ut una ad minus 4. pars annuae obventionis pro hyemalibus mensibus remaneant, huncque in finem pro utriusque partis directione tam hyemales quam et aestivales dicae semper in promptu serventur.

Subditis porro in robotta dominali constitutis quietem, et pabulationis tempus pro eo, qui hactenus viguit, more, habita item distantiae pascui et roboris jumentorum, ac conservationis miserae plebis ratione, sufficiens omnino admittat.

Et quia subditus ultra suas et jumentorum vires ad laborem dominalem intra unius diei spatium perficiendum cogi nequiret, ac ex eo nec unius diei labor eidem determinate assignari posset, omne autem tempus in laborem dominalem impensum subditis imputari b. urbarium praeciperet, dominia terrestralia a determinandis praeattactis unius diei laboribus pariter abstineant, et neglectam hoc quoque nomine imputationem subditis pro praeterito bonificent.

Porro in poenis triduani laboris, et baculos eam adhibeant moderationem, ne illegalitate factorum prodeunte, miseris hominibus pro excessibus satisfacere, poenasque saevitiei dare debeant.

(Quoad usum relate ad peragendas per colonos araturas.)

9. Ex instantiis subditorum prodeunte eo, quod in regno hoc nullis certis araturarum temporibus praeexistentibus dominia terrestralia miseram ple-

bem toties quoties ad explendam araturam stringant, et duo animalia pro uno tantum manuali labore imputent, antequam eatenus decisive constituatur, clementer jussit sua Majestas sacratissima ut super eo, quotnam in comitatu hoc Zagrabiensi araturae pro perficiendis juxta morem harum partium fieri consuetis seminaturis, annue necessariae sint? qualis item usus circa peragendas per colonos araturas hactenus viguerit? prout et de aliis cum objecto hoc connexis circumstantiis per praetitulatas D. vestras exacta informatio submittatur, demum

(Quoad redemptionem filaturae.)

10. Altefata sua Majestas sacratissima benigne resolvere dignata est, ut domini terrestres loco filaturae, nonam ex lino et canabibus in natura desummant.

(Quoad fundorum contributionalium via facti avulsionem a contributione.)

11. Compluribus in eo etiam querimoniis exhibitis existentibus, quod domini terrestres fundos ab olim per subditos tentos et possessos, imo etiam literis mediantibus in perpetuum emptos, potissimum autem vineas ad masculum perenni titulo comparatas, praetextu propriae necessitatis a subditis pro volupe recipiant, et privatis usibus suis applicent, fratribus porro in fundis ad masculum collatis divisionem subinde ineuntibus, mutua successione, licet in literis non praecauta, usus tamen antiqui nomine nega-

ta, defficientis fundos jure fiscalitatis, nullo etiam judicio celebrato, vel saltem publico antea referri insueto, ab oneribus publicis eximere soleant.

Cum autem occasione modernae regulationis urbarialis fundi per subditos possessi, et oneribus affecti, secundum suas classes, et conditiones jam conscripti sint, hos vero, si citra legitimum judicium a subditis ultro redimere liceret, non omnis tantum labor vanus esset, sed etiam nulla his subditorum securitas inesset, et ob id magna fundi publici subversaretur diminutio.

Fundamento proinde ex eo, quod fundos contributioni subjectos abinde avellere nullo sub praetextu via facti liceret, et abinde avulsi eidem denuo restituendi veniant, praetitulatas D. vestras eo inviari, ut si domini terrestres istiusmodi fundos praevia modalitate jam conscriptos, aut etiam errore quopiam e conscriptione exmissos, a subditis suis sive jure fiscalitatis, sive propriae necessitatis, aut alio quocunque titulo adimere, et usibus suis applicare vellent, eosdem, sub poena nullitatis, et omnis inde in subditos redundantis damni refusionis, prius integrum haud sit, quam celebrato praevie judicio dominali, hocque sedi iudiciariae relato, et abinde pro suprema revisione via Consilii hujus regii locumtenentialis sic submisso, ut usque utteriorem altissimam decisionem res tota integre servetur. (Quoad terras remanentiales vide pag. 101 et 104.)

(Quoad justitiam ex parte dominii terrestralis colonis administrandam.

12. Circa contribuentium querimonias in eo positas, quod unius domini terrestris subditi per alium sive dominum terrestrem, sive hujus subditos injuriati rebus, et signanter pecoribus suis privati, hisque modis pene ad incitas redacti, publicum pro administratione justitiae interpellare, ad protectionem dominorum suorum terrestrium relegentur, hanc porro ibi necquidquam quaerentes, injuriarum suarum, penitus oblivisci, et rerum suarum jacturam extrema interdum sui cum ruina ferre cogantur, praetitulatis D. vestris intimari, ut cum subditi ad effectum justitiae actore destitui nequirent, et ideo lege etiam provisum foret, ut dominia terrestralia subditorum suorum causas, et lites promovere, eosdemque pro bono etiam publico protegere debeant, casum in eum, si dominia terrestralia praevie commonita subditis hac in parte deessent, fiscus magistratualis ad eorum expensas in foro competenti causas subditorum promovere, ipsisque hac ratione justitiam procurare, ac taliter conservationi contribuentium hoc quoque in passu magistratus comitatus sub onere responsionis invigilare, pacemque et tranquillitatem publicam conservare debeat.

(De subditis per dominia ad labores suos pro lubitu, et citra mercedem haud cogendis.)

13. Meminerint praetitulatae D. vestrae, quidnam in ordine ad id, quod domini terrestres subditos suos ad omnia domestica et oeconomica ser-

vitia pro lubitu applicantes, nullamque aut exiguam ejusmodi servientibus mercedem solventes, imo plerique crudelem eos tractandi modum adhibentes, miseram plebem in ruinam et desperationem adducant, indeque multorum profugiis enatis desertae sessiones prodeant, de b. jussu regio dispositum fuerit, utpote ne amplius domini terrestres subditos suos ad qualiacunque servitia cogant, verum libera omnibus voluntate relicta, homines pro servitiis suis mercede, qua fieri potest, conducant, ac dein quod sua Majestas sacratissima erga factas idcirco iteratas repraesentationes, tenore b. rescripti sui sub 21. aprilis 1777. emanati denuo clementer acquieverit, ut conditionibus eatenus demisse propositis rite observatis, memorati domini terrestres invitos etiam subditos ad servitia sua sed tantum oeconomica cogere possint.

Quia autem plerique domini terrestres nulla habita praeallegatae b. resolutionis regiae attentione subditos suos hucdum ad quaevis servitia applicarent, et non tantum convenientem mercedem negarent, sed insuper miseros homines pessime tractarent, ut actu etiam profugia quam frequentissima eveniant.

Ex eo praetitulatae D. vestrae eas ad effectum citatae b. resolutionis regiae efficaces faciant dispositiones, ut haec non tantum pro futuro ab omnibus dominis terrestribus rite et in omnibus punctis adaequate observetur, sed etiam quoad praeteritum miseris hominibus pro exantlatis servitiis omnis satisfactio procuretur, ne casum in contrarium primaevam suae Majestatis sacratissimae re-

solutionem revocare sit necesse. Quales autem ad effectum praeattactae b. resolutionis regiae ex parte praetitulatarum D. vestrarum dispositiones factae sint? qualia item servitia oeconomica per subditos dehinc obeunda determinata habeantur, et qualis quibusvis merces emensa sit, desuper eaedem D. vestrae specificas informationes suas occasione annuarum investigationum isthic submissurae sunt.

(Quoad quaestiones urbariales qualiter decidendas.)

14. Praetitulatis D. vestris intimari, ut quaestiones in merito urbariali sibi propositas, vel in futurum proponendas nonnisi in ea parte, in quantum hae per b. resolutiones regias jam plene superatae sunt, et nulla prorsus earum intuitu difficultas occurrit, ad effectum dirigant, alias autem omnes cum suis reflexionibus pro ulteriori discussione, et decisione Consilio huic regio locumtenentiali repraesentare debeant.

(Quoad combinatorium status anteurbarialis cum regulatione urbariali.)

15. Observato eo, quod diversorum dominorum terrestrium subditi robottas, et alias datias in usu priori vigentes dominiis suis praestare mallent, quam urbarialibus insolitis praestationibus subesse, a quorum desiderio neque dominia terrestralia aliena essent.

Quia autem ipsa experientia testaretur, quod plerique miseri homines non novitate praestationum urbarialium moti, verum late patentibus domi-

norum terrestrium praestationibus et remotis b. resolutionis urbarialis interpretationibus deterriti, ac una plerorumque severitatem placare volentes se in statu potius anteurbariali, quam juxta novam regulationem tractari cuperent, ac ceteroquin generalibus principiis provisum foret, quod a moderna urbariali regulatione nec dominis terrestribus, nec subditis tamdiu recedere, et ad antiquum statum redire integrum sit, donec e combinatorio instrumento per sedriam elaborando, et altissimae revisioni submittendo statum anteurbarialem a moderna regulatione urbariali graviorem haud esse non evenerit.

Idcirco praetitulatas D. vestras eo reflecti, ut regulationi urbariali citra omnem subditorum oppressionem insistentes, et neque ab ea recedentes casum in eum, si intra dominia terrestralia, et subditos, sive de statu priori reducendo, sive vero in locum urbarialium de aliis praestationibus substituendis quaepiam inirentur conventiones, has sibi praevie relatas et revisas, conformitate benignae dominorum comissariorum regiorum instructionis penes praeattactum combinatorium instrumentum per ipsam sedriam elaborandum, pro ulteriori discussione, et altissima resolutione re interea integre servata, eaedem huic Consilio regio locumtenentiali submittere noverint.

(Quoad notarios et ludirectores in possessionibus constituendos.)

16. Posteaquam maxime illinc subditorum calamitates enascerentur, quod per totum regnum nulla

plane possessione locali notario provisa existente, si miseri contribuentes vel aliquid sibi perlegi curare, vel injurias et afflictiones suas detegere volunt, homines literatos instantiarumque confectores in remotissima distantia magno temporis cum dispendio quaererent, et horum operam exaggerato prorsus pretio solvere debeant, dein autem instantias suas publico exhibentes remedium injuriarum suarum vix aliquando, aut plane nunquam exoperari possint.

Quemadmodum proinde optandum sane esset, ac ipsa ratio conservationis miserae contribuentis plebis exposceret, ut ad minus plures insimul possessiones uno locali notario providerentur; cujus opera tum in re contributionis, cum etiam modernae urbarialis regulationis, aliisque literatum hominem requirentibus negotiis eo etiam motivo uti possent, ut diffidentia illa, quam contribuens plebs non minus erga dominos terrestres, ac etiam ipsos subinde magistratuales comitatenses ab olim fovet, tandem eradicetur, sicque odii loco subditorum erga dominos terrestres amor, et subjectio, horum vero erga miseram plebem compassio, et protectio excitetur.

Ita praemissum in finem eas praetitulatae D. vestrae facturae sunt dispositiones, ut subditi ab assummendis notariis nullatenus impediantur, quin potius non tantum illi quoad minus plures possessiones insimul, vel etiam judicatus de idoneis notariis sibi providere debeant, omnimode extimulentur, sed ipsum etiam publicum ratione praeattactorum notariorum praevia ratione constituendo-

rum, et de manipulatione rerum inviandorum omnimode contendat, ac ideo praetitulatae D. vestrae et respective comitatus hujus vicecomes cum superiore districtus studiorum directore mutuam ea in parte foveant cointelligentiam, quo istiusmodi homines vel directe pro notariis, vel adminus pro ludirectoribus, una officium notariale obituris, juxta sistema in re literali clementer stabilitum applicandi, subinde ex scholis nationalibus medio inspectoris earundem scholarum nationalium districtus Zagrab. haberi possint.

Relate porro ad instatias per praelibatum dominum comissarium investigari comissas sub 3. praeteriti mensis 9bris, factis de b. jussu regio dispositionibus serio et efficaciter insistatur, earumdemque effectus ad amussim procuretur, et superinde desiderata informatio acceleretur, pro futuro verò ratione ejusmodi instantiarum et injuriarum per subditos sibi proponendarum diligenti cura habita, omnis pariter, et prompta semper miseris contribuentibus justitia impertiatur, nec quidquam eatenus negligatur; denique

Ordo et zelus in manipulatione urbariali.

17. Cum ad omnem rempublicam augendam et conservandam nihil magis deservire possit, quam ut quibus negotia gerenda sunt concredita, mutuam imprimis foveant cointelligentiam, pro ratione officiorum minores a majoribus dependeant, servitii publici amorem exhibeant, in publicis congregationibus animis ad parem, omnemque debitam observantiam compositis, negotia per-

tractent, ut haec omnibus una eademque mensura administretur.

Et ideo nisi in re etiam urbariali haec observata fuerint, grave hoc et momentosum negotium, ne prioribus majores generet confusiones, sicut non abs re metuendum est; ita quia effectuatio cunctorum praedeductorum unice ab eorum, quibus cura publici concredita est, zelo et efficaci officii sui administratione sic dependet, ut nisi hi seriam rebus admoveant operam, suoque officio respondeant, omnis alia provisio vana, et irrita sit futura.

Proinde sumefata sua Majestas caesareo regia omnem ulteriorem negotii urbarialis in partibus manipulationem publico comitatus hujus magistratui, a capite vero domino supremo comiti concredendam clementer resolvere est dignata, ita quidem ut idem magistratus, quae adhuc supplenda et effectuanda restant, eorum secundum benigne praestabilita principia indilatam effectuationem procuret, benignam urbarialem regulationem pro incumbente sibi munere rite observari faciat, in publicis congressibus, omnibus moderationem imponat, sicque conatus in contrarium nixos simpliciter removeat.

Quae porro, ut tanto facilius obtineri, et uno quasi tramite absolvi possint, atque cum annuarum investigationum de qualiter observatis urbariis? peragendarum jam etiam tempus immineat, et interea illud etiam, quod superest, facile elabatur, donec operi huic manus admoveri potuerit, dominus supremus comes comitatus hu-

jus de b. jussu regio sub hodierno instruitur, ut ipsos exequentes, vel si hi absolute exmitti nequirent, alios idoneos magistratuales ad annuas investigationes, juxta clementer praescriptam, et hic advolutam normam peragendas exmittat, hisque una cuncta ea quae ad plenum urbariorum statum juxta praemissas observationes investiganda, et effectuanda adhuc restant; sic concredant, ut illi super operatis suis de tempore in tempus absoluto quippe singulo judicatu relationes suas exhibeant, isthuc mox submittendas.

Quam benignam resolutionem cesareo regiam praetitulatis dominationibus vestris fine celerioris, et exactae effectuandorum effectuationis, submittendorumque submissionis serie praesentium de benigno jussu regio intimandam habet Consilium idem hoc regium locumtenentiale. Datum ex Consilio regio locumtenentiali Hungarico. Posonii die 27. mensis novembris anno domini 1780. celebrato. Praetitulatarum dominationum vestrarum Benevolus, ad officia paratissimi. Comes Georgius Fekete m. p. Franciscus Skerlecz m. p. Joannes Mihalkovics m. p. Nro. 7145.

Originale intimati huius citatos paragraphos continet quidem, non tamen paragraphorum extractus succinte praemissos, qui unice in alleviandam combinationem adjiciendi esse censebantur.

BENIGNA INSTRUCTIO

Normam praescribens annuam urbariorum, qualiter observatorum investigationem peragendi.

§. 1. Ne urbariales regulationes successive per defectum necessariae vigilantiae, remissumque earum observationis studium in irritum recidant, benigne praecipitur, ut cum fine mensis decembris veluti tempore opportunissimo indispensabiliter in quolibet comitatus districtu, seu processu singula loca, nullo prorsus excepto, per processualem judlium, aut vicejudlium cum uno jurassore visitentur, hacque occasione, et quidem ubique in ipsa singuli loci facie sollicite videatur, num authenticum urbarium, authentica item tabella urbarialis, prout et testimoniales super executione urbariali, nec non puncta generalia prohibita aeque sub authentico comitatus sigillo expedita, ac praeterea conscriptio juris montani in locis promontorio gaudentibus apud communitatem loci praeexistant nec ne? Si praexistunt, eadem subditis clara voce punctatim, ac seriatim perlegantur, iidemque interrogentur, num in quopiam puncto contra urbarium, aut praeattacta puncta generalia, reliquaque superius attacta per dominium aut ejusdem officiales vel servitores in aliquo excessum fuerit? et si nullae prorsus prodirent querimoniae, ipsi visitantes judex nobilium et jurassor tali in casu scriptam desuper a communitate, sigilloque ejusdem expeditam recognitionem accipiant, pro casu vero, ac hic vel ille locus sigillo caret, pro hoc supplendo modalitas alia adhibea-

tur, quae in superioribus in casu simili quoad 9. punctorum responsa praescripta habetur.

In locis denique illis, in quibus omnes incolae scripturae ignari sunt, sufficiet loco accipiendi a communitate super nullitate excessus testimonii quoad id ipsum praestandae per ipsos investigandae recognitionis fidedigna expeditio.

Si vero quaepiam evenient querimoniae, extunc has sub jurata fidedignitate sua genuine, ac fideliter adnotent, desuperque dominum terrestrem, vel ejus dominales officiales audiant, et respective confrontent, imo necessitate exigente inquisitiones et investigationes, ac oculatas in facie loci peragant, hacque ratione realiter compertorum excessuum effectivam complanationem, in quantum fieri poterit, in instanti procurent, desuperque in proxima generali congregatione scriptam, ac ita genuinam ac circumstantialem relationem universitati exhibeant, ut ex hac non solum omnes, qui intercesserunt excessus, sed etiam an et qualiter complanati fuerint, dilucide, et exacte dignosci queat.

Istas vero relationes comitatus indilate assummat, et ea, quae sibi vi muneris sui, et ex praescripto articuli 18. 1723. incumbunt, confestim agat, nec unquam solis his dispositionibus suis acquiescat, verum earumdem realem quoque effectum semper procuret, ac cum fine cujusvis anni universas praenotatas relationes cum circumstantiali informatione sua, subnectendoque quoad singulum querimoniale punctum deciso proprio, Consilio locumtenentiali regio infallibiliter submittat, suae

Majestati sacratissimae pro suprema inspectione, et benigna decisione caesareo regia per idem Consilium regium repraesentandas.

Utprimum autem super taliter repraesentatis altefatae suae Majestatis sacratissimae clementissima resolutio regia comitatui intimata extiterit, idem comitatus absque omni nectenda remora hujus in conformitate agenda agat, et effectuanda sollicite effectuet, ac desuper idem hoc Consilium locumtenentiale regium genuine ac fideliter informet.

§. 2 Si occasione per officiales comitatenses praevio modo peragendae investigationis compertum fuerit, unam, alteramque communitatem urbarium suum, aut memorata puncta prohibita, vel tabellam urbarialem aut testimoniales super executione, vel denique conscriptionem juris montani amplius haud habere, sed eadem fato quopiam in relatoriis specifice exprimendo amisisse, tali in casu decernitur, ut non tantum causa talismodi amissionis per eosdem comitatenses officiales investigetur, verum etiam omnimoda cura adhibeatur, ut istiusmodi amissis instrumentis sub authentica comitatus expeditione denuo, ac quo celerius provideantur, ideoque haec hunc in casum a Consilio hoc locumtenentiali regio expetantur.

§. 3. Ipsis autem magistratualibus relationibus datum accurate inseratur, quo exinde anno subsequo investigationem facienti pateat, a quo termino novam investigationem ordiri debeat.

Hujusmodi porro investigationes futurae toti

communitati semper praevie insinuenter, et quo pluribus ex ea praesentibus instituantur.

Relatio vero desuper facienda per judicem nobilium, et jurassorem subscribatur.

§. 4. Occasione hujusmodi annuae investigationis submissionis attestatorum ipsa etiam totius comitatus locorum series, toties quoties adnectatur.

Ut autem omnis communitatum diffidentia, ac respective metus praevertatur, quoties magistratuales in fine peragendae annuae istius investigationis ad facies locorum exiverint, statim cum ingressu ipso declarent, investigationem annuam per suam Majestatem sacratissimam praecise in bonum, et conservationem contribuentium; studioque procurandae exactae urbarii observationis clementer ordinatam haberi, adeoque, si quae colonis in communi, vel particulari de non observato urbario comissis ex parte dominii excessibus querelae essent, eas plena libertate proponant, sin minus, id testimonialibus parte ex sua expediendis recognoscant.

Si vero ex hac investigatione laborum seu robottarum accumulatio, et supererogatio culpa dominii eveniat, haec occasione investigationis per dominium subdito instantanee parato aere bonificetur.

§. 5. Si officiales dominales ad actum praeattactae investigationis fine confrontandorum confrontationis, bonificandorum bonificationis, ac adjustandorum adjustationis, quae utique omnia partis utriusque tam querulantis, quam querulatae praesentiam requirant, comparere renuerint, medio

nvestigantium magistratualium fiat idcirco insinuatio apud ipsa dominia terrestralia, desideratoque effectu, hac etiam ipsa ratione non subsecuto iidem investigantes recurrant ad comitatum, idem vero comitatus ad desideratum hunc scopum consequendum omnia, quae muneris sui agenda sunt, opportune agat, et usque procurandum plenarium effectum non conquiescat.

§. 6. In comitatibus porro illis, in quibus urbaria anno 1766. benigne elargita, ac subseque horum supplementa introducta habentur, investigantes magistratuales praeattacta investigationis puncta quoad ipsa supplementa plane ita observanda habebunt, quemadmodum nempe quoad urbaria observanda praescribuntur.

§. 7. Sũa Majestas sacratissima benigne resolvit, ut numerus pecorum, ac pecudum, officialibus et servitoribus dominalibus expresse determinetur, taliterque statuatur, ut quilibet superiorum officialium haud majorem, quam colonus integrae sessionis, numerum ad pascui usum servet, inferiores vero officiales, ac servitores, nec non ludimagistri colono mediae sessionis aequiparentur, neque ulli eorum licitum sit, pro aliis, quam propriis pecoribus, aut pecudibus communi pascuo uti, cum autem numerus pecudum, aut pecorum pro hac vel illa sessionalium subditorum qualitate nondum determinate definitus habeatur, in quibusdam posterius regulatis comitatibus tenore extradatae instructionis regiae ordinatum fuit, ut exequentes magistratuales in singulo loco, sex integrae sessionis colonos aut si forte non existerent, sex mediae sessionis,

et a proportione existentiae, inferioris etiam qualitatis sex colonos, expediente ad rem declaratione, de habito quoad singulum pecorum pecudumque numero examinent, erutoque ex his fassionibus medio, semper tamen ad conservationem contribuentium librando, determinent in singulo loco, quot pro futuro pecora et pecudes quilibet tam superior, quam inferior officialis dominalis, servitor item et ludimagister alere possit, et quidem ea ratione, ut pro superiore officiale dominali reflexe ad sex integrae sessionis colonos erutum medium, pro inferioribus vero officialibus servitoribus, et ludimagistris quoad 6. mediae sessionis colonos erutum medium, in utroque casu unam duntaxat sextalitatem statuant, atque hanc determinationem cum rationibus pro impertienda desuper resolutione regia fundamentum praebituris, comissario regio transmittant.

Officiales vero dominales extra locum domicilii constituti favore hujus concessionis extensive ad alia loca uti nequeant, et ad illam duntaxat speciem alendorum pecorum, ac pecudum restringantur, cujus nempe usum ipsi subditi locales obtinent, denique ut pecora sua nec in privato pascuo alant, verum cum communitatis pecoribus sub custodia communitatis pastoris ipsa pascantur.

Et quia publica notorietate constaret, quod parochi, ministri, et popones locorum tam cum dominorum terrestrium, quam etiam contribuentium incommodo, et dispendio hic et ibi excessivum asservare soleant cornutorum pecorum, quam et ovi-

um numerum, hinc ut ab eo excessu efficaciter arrceantur, benigne resolvit sua Majestas, ut omnis religionis parochis idem, qui superioribus officialibus dominalibus, numerus pecorum et pecudum superius praescripto modo determinetur.

In singulo demum loco exequentes magistratuales resolutum per comissarium regium pro officialibus, servitoribus, ac ludimagistris pecorum ac pecudum numerum cum specifica connotatione, executionalibus in separato quodam puncto exprimant, ac id ipsum occasione annualium urbarialium investigationum, qualiter observatum fuerit, accurate indagetur, comitatui referatur, relationesque istiusmodi Consilio locumtenentiali regio submittantur.

Quod ipsum proin omnes et singuli comitatus urbarialiter regulati ad amussim effectuabunt, et occasione annuae investigationis, qualiter observatum fuerit, investigari, sibique referri curabunt, relationesque investigantium magistratualium Consilo L. R. submittantur.

§. 8. Occasione annuae invesigationis sub peculiari puncto accurate examinetur, num ex conscriptis fundis desertis, qui, quot, et quales impopulati habeantur, et num post impopulationem urbarialiter tractentur? aut e converso nefors aliqui ex impopulatis, qua de causa, et cujus facto deserti extiterint, et in cujus qualemque usum devenerint, faciant de his quoque circumstantiis universis investigantes comitatui, hic vero Consilio locumtenentiali regio genuinam informatio-

nem, per idem Consilium suae Majestati sacratissime repraesentandam.

§. 9. Et siquidem magistratualibus comitatuum circularia intimata circa ordinem sylvarum introducendum, sub 5. men. aprilis et 15. Juni 1770 exarata, serio injunctum jam fuisset, ut urbarialis regulatio reliqua inter etiam quoad lignorum ibidem praescriptorum praestationem in suo vigore et robore conservetur, omnis in hoc genere exhibenda querimonia sollicite investigetur, et medio Consilii locumt. regii suae Majestati sacratissimae submittatur, hinc occasione etiam annuae investigationis solers idcirco examen peratur, et per exequentes comitatui, abinde vero Consilio locumt. regio submittatur.

Urbarialis regulatio Slavoniae comitatuum Veröcz, Posega, et Sirmiensis.

Ex b. recripto urbariali, Slavoniae comitatus respiciente, 15. mensis martii 1756. nro. 63. emanuto.

Carolinum regulamentum anni 1737. *effectui haud mancipatum.*

a. Jam Carolus VI. anno 1737. regulamentum constituit, in quo punctatim quid et quantum domino terrestri a subdito exigere conveniat, et hic vicissim eidem pendere obligetur, praescriptum extitit, illud nihilominus effectui mancipatum non

fuit, atque ita colonis per diversas exactiones oneratis plurima eorum enata sint gravamina, quibus debitum remedium allatura constituta est pro comitatibus Slavoniae utpote Veröczensi, Poseganо, et Sirmiensi stabilis urbarialis norma.

Constitutivum sessionis colonicali-urbarialis.

b. Ut integrae sessioni praeter domum, aream item et annexum hortum 8 falcatórum sive curruum in regione illa usitatorum foenilia et praeterea ubi possessionis terrenum fertile est, nro. 24. — ubi minus fertile 32. — et tantum ubi sterile est, 40 terrarum arabilium ad calcaturas juxta territorii situm aequali numero distribuendarum jugera, quod quodvis 3. cubulorum mensurae posoniensis sementis recipiendorum capax sit, adjiciantur. Ubi vero in territorio terrae sufficientes non essent, ast vineae darentur, tali in casu unius jugeri loco, duorum fossorum vinea exscindatur, atque ita pro media sessione dimidium, quo quartali vero 4. pars ejusmodi pertinentiarum obveniat. (vide paginam 25. 26. quoad vineas ad constitutivum in Slavónia, praesertim comitatu sirmiensi spectantes.)

SECTIO I.

Normae urbarialis.

Census sessionalis 3. florenorum singulo anno dominio pendendus, et robottoe.

1. Ab una integra sessione praescriptis pertinentiis provisa domino terrestri annuatim pro

jure terrestrali praestabuntur fl. 3. in duobus terminis, festo nimirum S. Georgii, et altero S. Michaelis, praeterea labores 24. dierum ab ortu solis usque occasum, exceptis solitis quietis et pabulationis horis intelligendos, et sic proportionate a media et quartali sessione, dimidium, et respectivi quarta pars tam pecuniae, quam et laborum pendetur. Quodsi vero colonus jumentis careat, aut dominus terrestris manualem requirat laborem, tunc labor unius diei cum jumentis, redimetur duorum dierum manuali labore.

Census inquilinaris, et robottae.

2. Inquilinus domum habens annue domino terrestri pendet fl. 1. itidem in praenotatis duobus terminis, et insuper manuali labore serviet diebus 12, domum e contra non habens serviet diebus 10.

Devectio, et sectio lignorum orgialium.

3. A quavis integra sessione per annum colonus tenebitur domino terrestri ad allodium suum ex sylvis, quae in territorio possessionis, quam incolit, sunt, convehere 1. orgiam lignorum, per eos tantum incolas, qui jumentis destituuntur ultra praescriptum laborum numerum, servata tamen inter hos proportione, consecandorum.

Extirpaturae et praestationes abinde.

4. Extirpaturae in sylvis non secus fieri possint, quam ubi et in qua dominus terrestris indulserit, cui proin semper insinuatio per colo-

rum facienda est. A terris autem extirpatitiis post expletos tres libertatis annos, pendetur domino terrestri decima frugum in eis procreatarum in stramine. Ab unius autem falcatoris prato extirpatitio annue xri 15. et totidem etiam ab uno jugero prunetorum.

Jus montanum.

5. Jus montanum a vineis illis, quae constitutivum sessionum ingressae non fuerunt, domino terrestri competit, ita nihilominus, ut a qualibet procreata urna musti, una nonnisi pinta posoniensis mensurae, et non plus desummatur.

Educillatio vini et cremati colonis competens.

6. Educillatio communitati rusticanae a festo S. Michaelis usque festum S. Georgii libera sit, intra quod tempus dominus terrestris etiam educillum suum quidem exercere possit, a festo tamen S. Georgii usque festum S. Michaelis dominum praecise terrestrem concernit, intra quod tempus coloni educillare quidem non ausint sub poena confiscationis vini, aut cremati educillo expositi. Vasatim nilominus crematum, sive rakiam et vinum vendere, pendente etiam educillo dominali eis admissum sit.

Porro dominus terrestris educillum suum erga ineundam conventionem colonis, vel etiam cuicunque alteri in arendam elocare potest, quod si vero dominalis vini educillatio juxta seriem domorum colonis imponitur, haec norma observanda erit, ut in dando singulo pago libello inscribatur

vini quantitas, pretium, et lucrum, et educillator duos a quovis floreno grossos pro mercede habeat.

Si autem vinum vel crematum ejusmodi dominale fato, non culpa educillatoris deteriorari contingat, pretium ejus nec educillator nec communitas loci compensare obligetur.

Proventus macelli.

7. Proventus macelli, quemadmodum juris praecise dominalis est, et domino terrestri cedit, eidem incumbit illud carne sufficienti sine ullo colonorum onere providere, interim colono pecora et pecudes pro sua domestica necessitate mactare vetitum non sit, ita tamen, ut sub poena confiscationis emacillare, et carnes libratim vendere non praesummat.

Lignatio aedilis, focalis, et pascuum.

8. Sylvae quidem pariter sunt juris dominalis, in quarum tamen possessionum territorio dantur, dominus terrestris aliquam illarum partem colonorum necessitati sufficientem exscindet, ita ut illi convenienti pro foco lignatione non destituantur, non secus et ubi pro aedificiis lignorum necessitatem habuerint, haec facta praevie eatenus debita insinuatione ipsis gratis concedantur.

Porro pascuum etiam pro colonorum pecoribus et pecudibus in territorio loci gratuito admittatur.

Fructuum arborum in sylvis proprietas dominalis.

9. Castanearum, aliorumque fructuum ex arboribus in sylvis existentibus procreatorum eadem ratio est, quae sylvarum, adeoque tales tanquam ad jus dominale pertinentes colligere colonis interdictum sit.

Glandinatio et ejusdem taxa.

10. Quod glandinationem attinet: haec rusticis etiam in sylvis dominalibus non negatur, ast ita, ut ubi adminus pro 4. hebdomadis sufficiens futura est, tunc a majori sabellico 12, a mediocri 9 — a minori demum 6 xr. titulo census domino terrestri praestentur. Qui vero sabellicos suos clam in sylvas dominales tempore glandinationis impellunt, aut dolose inscribi curant; ii non confiscatione, sed duplicis census ab ejusmodi clam impulsis vel dolose reticitis solutione mulctentur.

Glandium porro decussio et gallarum quercinarum collectio sub damnorum refusione et moderata castigatione rusticis prohibita sit.

Ab arboribus demum glandiferis extra complexum sylvarum seu in hortis, sive vero in campis, aut secus vias existentibus nullus census exigatur.

Molarum census.

11. A molis cochlearibus fl. 1. ab aliis ordiriis fluvialibus singula videlicet rota fl. 2. a danubialibus demum et drauanis fl. 8. annue census titulo domino terrestri solvantur.

Subsidia diaetalia.

12. Illis dominis terrestribus, qui per regales ad regni diaetam evocantur, dictamine etiam legis subsidio moderate tamen imponendo subvenire coloni tenebuntur. Vicissim vero hoc titulo in medium comitatus nihil contribuent.

Robottarum reluitio per quaestores, et opifices.

13. Opifices et quaestores in pagis et oppidis commorantes, juxta ineundam moderatam conventionem ab opificio et quaestu domino terrestri praestanda praestabunt, robottas vero modo praedeclarato sibi incumbentes aere parato unius nempe diei manualem 12., jugalem vero robottam 24 *x.* solutione redimendi optionem habebunt.

Venatio, piscatio, aucupium, est juris dominalis.

14. Venatio, piscatio, aucupium etiam praecise ad jus dominale pertinet, ac ideo haec exercere colonis prohibetur. Ad venationem autem etiam ob extirpationem rapacium ferarum domino terrestri ternis per annum vicibus, tempore nimirum per magistratus comitatenses destinando praestandam obligabuntur, coloni, quo casu domini terrestres eisdem plumbum et pulveres pirios suppeditabunt.

SECTIO II.

Normae urbarialis.

Ultra haec pro ulteriori tam dominorum terrestrium, eorumque officialium, servitorum, et

panduronum, quam et colonorum regulatione constituitur; ut

Electio judicum.

1. Electio judicum penes communitates quidem maneat, illa tamen lege, ut minores pagi tres, oppida vero et majores possessiones quatuor e gremio candidatos dominio praesentent, istud vero aptiorem ad munus gerendum ex sibi praesentatis constituet.

Judices rationibus super quanto contributionali et ceteris comitatus impositis obnoxii sunt.

2. Quia observatum fuit, plurimas possessiones per knezios et judices ex eo ad graviora damna deductas fuisse, quod judices locorum nullis obnoxii rationibus pro lubitu suo cum communitatum proventibus dispensaverint, hinc domini terrestres praeprimis quidem ejusmodi locorum judices vel per se, vel officiales suos sufficienter instruent, qualiter ejusmodi proventus loci communes incassandi et administrandi, qualiter praeterea rationes tam de his, quam et exactionibus quanti contributionalis, aliarumque publicarum comitatus impositarum reddendae sint? et ita eosdem cum fine cujusvis anni ad rationes de perceptis et erogatis rite reddendas obstringent, restantiariosque ad instantaneam refusionem compellent.

Aequa onerum distributio, collectae vetitae.

3. Invigilabunt praeterea domini terrestres, ut quantum portionale, aliaque ex imposita comi-

tatus possessioni obtingentia onera individualiter in gremio locorum juste et aeque distribuantur, nec quispiam improportionate gravetur, aut unus pro alio onus sustinere cogatur, ac sub gravissima animadversione in reliquo nullae pecuniarum vel naturalium collectioes instituantur.

Mulctarum desumptio.

4. In casibus poenalibns, ubi birsagia vel aliae mulctae pecuniariae desummendae erunt, has rustici sub poena dupli desummere non audeant, sed ejusmodi casus dominio terrestrali indicent, istud vero colonos nonnisi in casibus lege admissis, et in his etiam observato omni moderamine in pecunia mulctare possit.

Caducitates, et profugorum substantia.

5. Deficientium caduca bona sibi contra legum tenores non usurpent, verum ejusmodi caducitates dominio terrestrali illico post deficientis mortem sincere detegant, quod demum illas exsolutis attamen restantiis, tam quanti portionalis, quam aliorum publicorum onerum, deductoque aere alieno sibi appropriare valeat; quod vero profugorum facultates attinet, hae usque reductionem eorum in sequestrum quidem summantur, attamen exinde etiam onera publica restantia, et debita eorum passiva depurentur.

Alienationes fundorum sessionalium, et vinearum.

6. Pertinentiae postfunduales a sessionalibus nullo modo alienentur. Vinearum vero, quae ses-

sionum constitutivum ingressae non sunt, ita et fundorum extirpatitiorum juxta aestimationem impensi laboris, venditiones, alienationes, et legationes cum praescitu et consensu domini terrestris liberae permittuntur.

Neo impopulatorum ratio.

7. Occasione impopulationis cujuscunque novae cum adventitiis conventiones non ineantur, sed horum etiam intuitu observetur norma urbarialis superius praescripta.

Inventa apum alvearia.

8. Si quispiam intra metas territorii dominalis apum alvearia repererit, eadem dominio significare. et praestare, istud vero sive in natura seu justo pretio tertiam partem jure inventionis, colono inventori persolvere obligabitur.

Quoad terreni limites.

9. Nullus rusticorum vicinae possessionis vel distincti dominii territorium invadere, aut vicissim mala fide suum possessorium tacite cedere aut vendere sub poena refusionis damni et expensarum praesummat, sed potius veros suae possessionis terreni limites ad praecavendas etiam summe damnosas controversias conservare studeat.

Domorum in unum contractio.

10. Ad extirpandam veterem pro praedociniis olim servientem provinciae hujus faciem, constituendasque bono ordine formales domos, rustici, ubi situs et natura loci admittit, domos suas seriatim aedificare, atque se in unum con-

trahere, dumeta vero in medio agrorum et camporum hinc inde relicta evellere per magistratus comitatenses compellantur.

Arma et canes venaticos servare colonis vetitum.

11. Nemo rusticorum arma quaecunque gestare, canesque venaticos pro se servare, sub confiscatione, gravique animadversione praesummat. In reliquo

Exactiones illegales vetantur, pro robotis praestitis sigilla extradentur.

12. Officiales et servitores dominales quocunque sub praetextu donaria a colonis exigere, extorquere, illos ad labores in privatas suas oeconomias cujuscunque generis impendendos adigere sub poena refusionis in duplo nullatenus praesummant. Ne vero ipsis in exigendis etiam supra numerum robottis dominalibus occasio adsit, dominus terrestris non tantum accuratum robottarum regestrum servabit, verum etiam singula robottarum die ad vesperum pro more regionis hujus sigillum cartae impressum accurate dari, vel si media die, laboratum fuerit, medium sigillum praestari curabit laboranti, ut ita expletis in urbario denominatis diebus colonus numerum impensorum dierum scire, et annuos suos labores legitimare valeat. Longius porro a dominali oeconomia degentibus colonis, dies robottae ante tam romano catholicae ecclesiae, quam et graeci ritus festos dies insinuetur, ut ita adminus in adventu rusticus diem lucrari possit, et sicut nemo

alterius onera ferre tenetur, ita unus pro alio in laboribus detinendus non est.

Continuatio obtutu robottarum.

13. Coloni per officiales, servitores, et pandurones dominales non vexabuntur, ad custodiam et pascuationem pecorum dominalium non adigentur, intertentione etiam venaticorum canum non gravabuntur, neque ad robottas tardius comparentes pecunia mulctabuntur, sed in casu, quo ex negligentia tardius venirent, moderata nonnisi, eoque ex duobus, 3. aut ad summum 4. ictibus constante castigatione punientur, et ad defectum supplendum obligabuntur.

Administranda colonis justitia; sedes dominales celebrandae.

14. Domini terrestres colonis vel intra se vel cum extraneis causas habentibus, justitiam absque protelatione administrabunt, et si aliqua partium judicio dominali non contentatur, recursum ad comitatum nullatenus impedient. Si porro negotium majoris momenti fuerit, illud in sede dominali coram testimonio comitatus revideri, decidi et magistratui comitatensi referri curabunt, unde sedes dominales pro exigentia rerum in anno bis etiam et ter celebrabunt, ita quidem, ut in casu, quo causae ad sedem dominalem pertinentes in dominio darentur, et domini terrestres intra annum tales celebrare intermitterent, magistratus comitatensis praevie eosdem dominos terrestres desuper admonebit, et ubi hi non parerent, ipse

causarum revisioneem assummat, et juri ac justitiae conformem querulantibus satisfactionem impendat.

Praestationes quae vetantur.

15. Nulla colonorum utensilia, uti sunt lebetes, cadi, sacci, aliaque id genus utensilia, nisi rusticus benevole velit, pro usu suo domini terrestres vel eorum officiales vendicent, sed neque tempore sive celebrationis sedium dominalium, seu vero encaeniorum et consecrationis ecclesiae aut cujuscunque festivitatis coloni ad aliquid sive in pecunia seu in naturalibus gratuito praestandum adigantur.

Continuatio.

16. Nulli praeterea domino terrestri possessiones suas ad pecora pro macello in quocunque casu subministranda adigere licitum sit, sed quia proventus macelli dominalis est, onus etiam comparationis pecorum emacillandorum eundem dominum terrestrem maneat, absque ullius etiam accisae quocunque sub titulo desumptione, sed nec juvenum fructiferarum arborum, proprii item fimi praestatio colonis imponatur, neque coloni opificii gnari robottas sibi incumbentes laboribus opificii sui exhibere et supplere cogantur.

Transennarum et praejuncturarum militarium persolutionis quoad vitandas defraudationes.

17. Ne contribuentes in persolutione transennarum, et praejuncturarum militarium defrau-

dentur, locorum judices ejusmodi pecunias sub onere dandarum cum fine anni modo praedeclarato rationum ad manus suas recipiant, et iis quibus competit, exolvant, officiales vero dominales ad illarum levationem se non imittant.

Quoad pandurones qualiter providendos.

18. Pandurones dominales nullatenus per colonos, sed ipsos dominos terrestres, quorum nempe servi sunt, solvantur, quod si porro ratio publicae tranquillitatis majorem panduronum numerum requirit, tales per magistratum comitatensem constituantur, stipendiisque ex cassa hujus domestica provideantur. Praefati porro pandurones, dum sive in dominalibus, seu aliis negotiis in pagos proficiscuntur, a possessionibus et colonis victum, potum, vecturas, et alia hujus generis desummere, nulla ratione ausint, in transgressores vero dominium terrestrale per procurandam instantaneam desumpti refusionem insuper severe animadvertat.

Taxa inarestationis.

19. Ab inarestatis, vel ad cippum positis nihil in futurum exigatur, si tamen in majoribus excessibus deprehensi in compedes conjiciuntur, ab his tempore, quo ex compedibus solvuntur, 12 solum modo x. panduronibus, et fabro insimul cedentes desummantur.

Invagiationes.

20. Si pecora et pecudes in damnis repertae impellantur, damnum illico per judices pagenses aestimandum refundatur, et insuper a

quolibet sabellico, capra, vel vitulo impellenti solvatur 1 xr. — a majorum vero pecorum singulo xr. 2. Pecora autem vel pecudes, ubi in damnis reperiuntur, alias mactare non liceat, nisi in casu quo invagiari non possunt, praemissa erga pagenses, vel illos ad quos pertinent, binis vicibus instituenda praemonitione, quo casu, si a damnorum illatione desistere nollent, tum ob inobedientiam, cum vero impracticabilitatem impulsionis, signanter sabellicorum unum mactari possit, praeter refusionem damni mactanti relinquendam, in quo mactationis casu a residuis dein pecoribus mulcta crucigeraria non desummatur.

Haec est norma accurate et inviolabiliter sub altissima indignatione, et gravissima animadversione observari demandata — reservata in reliquo eandem ex occurrentibus successive rationibus ac motivis in toto vel in parte pro supremo beneplacito mutandi alterandique suae Majestati sacratissimae plenaria potestate.

SECTIO III.

Regulatoria puncta urbarialia, de annis 1808. 1809. et 1810.

Norma et mensura robottarum.

1. Observetur, ne ab una integra sessione colonicali per decursum unius anni praeter et ultra urbarialiter, in benignis patentalibus die 15. mart. 1756. emanatis praescriptum robottarum numerum, plures quam 28 bijugi currules, aut

56. manuales robottae defixo pretio bonificandae exigi possint, parteque ab alia praestari debeant, et sic a proportione a media vel quartali sessione, dimidia et respective quarta pars laborum calculanda sit, atque hos etiam labores universim mensibus aestivis dominia terrestralia desummere non audeant, sed in hac parte praescripto urbarii pro regno Hungariae benigne praestabiliti semet conformare, ac per consequens in exigendis robottis eam proportionem observare teneantur, ut adminimum una quartalitas totius anni obtingentiae, pro sex hibernalibus mensibus reservetur, jure dominiorum terrestralium integras domos, et sessiones colonorum ab obligatione praestandarum robottarum eximendi, aut robottas dominales alteri cedendi porro pro iisdem in salvo permanente.

Labores aversionales interdicti, tabellae distantiarum relate ad itum et reditum elaborandae.

2. Labores aversionales sunt interdicti, praescriptum benigni urbarii hungarici puncto 3. contentum, ad slavonicos comitatus quoque ita extenditur, ut eadem modalitate sicut in regno Hungariae usuvenit, tabellae distantiarum pro singulo dominio relate duntaxat ad itum, et reditum pro perficiendis laboribus dominalibus impendendum per publicum in concursu dominiorum, atque habita reflexione ad localia adjuncta elaborentur, et dominiis terrestralibus pro directione atque observantia extradentur.

Sigilla, et regestra praestitarum robottarum.

3. Ne subditi competenti sibi robottarum bonificatione frustrentur, seu per officiales dominales quaqua ratione divexentur, sigilla robottantibus illico peracto semper labore extradanda, vel ad minimum distribuenda, generatim vero colono laborum solutio, dum et quando eam exegerit, absque mora praestanda, denique ne officialibus dominalibus in exigendis etiam supra numerum robotis dominalibus occasio adsit, juxta positivum urbarii slavonici §. 26. praescriptum, regestra robottarnm in singulo dominio accurate ducenda, demandantur.

Urbarium in slavonica lingua communitatibus extradandum.

4. Pro eo ut coloni tam de juribus dominio competentibus, quam et sibi incumbentibus obligationibus rite instruantur, sua Majestas sacratissima benigne praecipere dignata est, ut pro tribus inferioris Slavoniae comitatibus die 15. martii 1756. elargitum benignum urbarium in linguam slavonicam vertendum, medio Consilii regii locumt. altissimo obtutui eo fine substernatur, quo subsecuta altissima ratificatione cum adnexis necessariis tabellis urbarialibus praevie revidendis inter communitates distribui valeat.

Dispositio quoad terras remanentialis.

5. Quoad terras remanentiales eadem dispositio est, quae in hungarico urbario. (Vide paginam 101. et in specie paginam 114.)

Pascui sufficientia qualiter calculanda.

6. Pascui sufficientia, ad tria jugera, quae ad unam integram sessionem colonicalem calculari solent, haud restricta, localibus adjunctis, etiam in defectu per exassignationem partis sylvarum dominalium, observatis quoad regulationem sylvarum dispositionibus, est commensuranda.

Quoad recaptivationem fundorum industrialium, et extirpatitiorum, hortorum item et prunetorum a subditis qualiter instituendam.

7. Ut fundorum industrialium (quo etiam extirpatitii fundi referendi) recaptivationes per dominia terrestralia non secus, quam via et forma lege et benigno urbario praescripta, penes assistentiam fisci magistratualis in sede dominali, dein ad sedriam comitatus, et Consilio quoque regio locumt. referendae instituantur, illudue pro regula observetur, quod fundi industriales praemissa praescripta reluitione, in redintegrationem constitutivi tunc saltem converti valeant, ubi a fundis antehac ad urbariales sessiones pertinentibus tanta non aderit remanentia, ut haec pro supplendo constitutivi defectu deservire et sufficere possit, eo etiam quoad hortos et pruneta per suam Majestatem sacratissimam clementer declarato, gratum fore suae Majestati, si subditi in possessorio hortorum, et peculiariter prunetorum per respectiva dominia terrestralia relinquerentur. Casu autem in contrario, si nempe dominium terrestrale talem hortum extrasessionalem ad se pertrahere vellet, eam

esse suae Majestatis sacratissimae benignam voluntatem, ut arbores non per aestimationem universaliter quoad reliquos fundos et tenuta observari solitam, sed distinctim juxta verum et reale earum pretium aestimentur, atque casu tantum in eo, si aestimationem talem praemissa ratione procurandam, et via Consilii regii locumt. altissimae ratificationi regiae substernendam sua Majestas sacratissima benigne approbare dignata fuerit, et respectivum dominium terrestrale pretium aestimationale hac ratione defixum deposuerit, a subdito recipi valeant.

Regulatio locorum monasterialium Bernyavor dictorum.

8. Loca monasterialia Bernyavor dicta urbarialiter in comitatu sirmiensi regulari disponuntur, vel si regulatio urbarialis ex rationibus altissimo loco referendis in effectum abire non posset, stabilis aliquis contractus pro futuro eorundem tratamento deserviturus elaboretur, altissimae ratificationi substernendus.

Lignatio focalis, aedilis, et oeconomico-instrumentalis.

9. Relate ad competentem subditis focalem et aedilem lignationem, praescripto benigni urbarii slavonici §. 8. ita insistatur, ut ubi sylvae in recinctu territoriali possesionis adsunt, lignatio focilis juxta praevigentem ubivis normam, ante omnia in aridis et humi jacentibus, idque defigendo per dominia terrestralia tempore, aut certis in

hebdomade diebus, colligendis lignis, lignatio vero aedilis aeque ad summam necessitatem restringenda, pro superiori duntaxat parte tecti, nequaquam vero pro trabibus ac aliis ad aedificium requisitis, erga specialem dominio faciendam insinuationem, et eius assignationem subditis concedatur, iidem vero subditi ad domus suas ex solidis materialibus, vel ubi talia haberi nequirent, ex crudis lateribus per ipsos conficiendis construendas stringantur. Quoad ligna vero pro curribus et aliis eorum oeconomicis requisitis antehac concedi solita, usus hucadusque observatus nunc etiam, praescindendo ab omni innovatione retineatur, colonique in praehabito beneficio ea tamen lege conserventur, ne per sylvas extra destinatas pro commeatu vias oberrent, securitatis publicae, et conservationis sylvarum ratione id exposcente.

Decima legalis.

10. Siquidem domino terrestri vigore puncti 4. urbarii slavonici decima a seminaturis in fundis duntaxat extirpatitiis, idque evolutis tribus libertatis annis desummenda, a prato vero extirpatitio a falcatore, nec absimiliter a pruneti jugero 15 xr. duntaxat, nequaquam vero decima exigenda concedatur, sua Majestas sacratissima benigne resoluit; ut idmodi species cotum duntaxat desumptioni decimae subjaceant, dum hae sive in terris extirpatitiis, aut in sessionalibus calcaturis, sive vero ex privata cum dominio terrestrali conventione in terris privative dominalibus seminantur; in aliis vero omnibus, canone sive sessionali, sive

extraseriali juxta urbarium jam affectis, adeoque etiam hortensibus, et aliis postfundualibus terris seminatae, et procreatae talismodi species nulli prorsus decimationi subsint.

Decima ceteroquin a prunis nullo titulo competente.

Decima sicca.

11. De decima sicca jam dictum in banatico urbario. (vid. pag. 235.)

Explanatio quoad araturam cum sex bobus institui consuetam.

12. Ad antevertendam, ex sinistro intellectu illius jam praevie vigentis, et anno 1786. republicatae dispositionis, quod videlicet aratura unius jugeri sex bobus instituenda totidem sigillis compensari debeat, subditorum damnificationem, atque recursibus praepediendam ansam sua Majestas sacratissima praeviam dispositionem eo explanari benigne jubet, quod cum aratura ipsa relate ad glebam comitatus sirmiensis non secus, quam sex bobus institui soleat, persolutio itaque sex sigillorum non ad perarationem unius jugeri terrae, verum ad laborem integrae diei sive dein aratura jugeri terminetur, sive non, intelligenda, et in hoc intellectu subditis tot, quot sigilla effective promeriti fuerint, persolvantur, eo insuper declarato, ut in quantum aratura unius jugeri terrae per distributa sex sigilla, ad sensum praeexistentis pro hoc labore mensurae sufficienter compensata non fuisset, eatenus praegravatis colonis pro praeterito etiam, in quantum nempe praeten-

sio subsistit, obveniens bonificatio suppletorie praestari debeat.

Quoad elevationem census a jugeribus prunetorum.

13. Relate ad censum ab uno jugero prunetorum juxta §. 4. urbarii slavonici in 15 xris defixum, testantibus censualisticis colonorum libris per dominia in comitatu sirmiensi ab anno 1803. ad 30 xros elevatum; sua Majestas sacratissima benigne praecipere dignata est, ut defixa hoc in passu per urbarium slavonicum exactio accurate observetur, et totum id, quod ultra hanc regulam a subditis exactum probabitur, iisdem in continenti bonificetur. Pro futuro vero elevatio census hic in quaestione vertentis in eo duntaxat casu locum habere possit, ubi coram sede dominali edoctum fuerit, quod ejusmodi pruneta pristinam suam qualitatem mutaverint, et seu in agros, seu in prata conversa sint.

Census ahaenalis in 2 fr. stabilitur, et quoad ligna pro urendo cremato necessaria quae norma observanda?

14. Circa taxam 2 fr. ab ahaeno tam ab illo, qui in proprio, quam ab illo, qui in alieno cacabo crematum exurit, per dominia desumptam, ac praeterea quoad necessaria pro tali exustione ligna, specialem cum dominiis conventionem introductam, sua Majestas sacratissima praevie defixam in hoc passu methodum stabilire, atque pro futuro etiam b. praecipere dignata est, ut pro conces-

sione juris exurendi cremati tam in proprio, quam alieno cacabo 2 fr. dependantur, et cum dominiis ex urbario obligatio non incumbat, subditos lignis pro exustione cremati gratuito providendi, subditi crematum exurere volentes, ad ineundam pro lignis in hunc finem necessariis cum dominiis liberam conventionem ultro quoque invientur, et ad idmodi conventionem sive directe pro lignis, sive prout in compluribus locis observatum est, sub titulo 3 xror. a fossore vinearum, vel a singula urna prunorum 1 xr. ineundam, illi tantum subditi obligentur, qui crematum effective exurere volunt, cuiusmodi conventione subsecuta, dominia in hunc finem necessaria ligna suppeditare teneantur. In reliquo libero manente eo, si dominia cum subditis relate ad hoc punctum alia ratione, observatis ceteroquin de praescripto urbarii observandis, convenire voluerint.

Educillatio vini, et cremati.

15. Quoad educillationem vini eadem norma, quae in hungarico urbario, praescripta est. Quoad educillationem cremati ordinatum, ut subditis sirmiensis comitatus, in iisdem, qui relate ad vinum praescripti sunt, terminis generaliter admittatur, et tam haec utriusque ordinis educillatio, quam et ciborum pro peregrinis et intervenientibus, erga solutionem subministratio, in quantum communitates formalibus diversoriis provisae sunt, libere semper exerceatur.

Mulctae pecuniales a canibus, et avibus rapacibus tolluntur.

16. Relate ad mulctam a canibus superfluis, ita et avibus rapacibus solvi e publico in comitatu sirmiensi determinatam, praeceptum est, ut talismodi mulctae tanquam benignis in re contributionali editis normalibus dispositionibus contrariae, pro futuro simpliciter abrogentur, utque tam canum superfluorum sublatio, quam et avium rapacium extirpatio, partim moderatorum praemiorum largitione, partim pro casu manifestae proterviae aresti, aut etiam corporalis poenae irrogatione procuretur.

INDEX.

Errata.

Pag.	*linea*	*errata*	*corrige*
6	11	2300	1300
16	28	seperata	separata
21	9	praesripto	praescripto
97	18	dispositiono	dispositione
1[illegible]	22	cobtutui	obtutui
113	22	patajensis	patajenses
149	13	appertimentiarum	appertinentiarum
155	17	confir-tio	confirmatio
164	14	resricta	restricta
210	30	praestantionem	praesta'ionem
220	13	existenee,	existente
319	11	do	de
352	7	capicitatem	capacitatem
393	17	urbarii	urbariis
428	6	invessigationem	investigationem
435	18	intsructionis	instructionis
442	28	§. 51	31
463	11	aequm	aequum
467	1	Sando	Sánd
468	19	cognominae,	cognomina
—	27	pedestritus	pedestribus
532	17	pratensioni	praetensioni
541	1	quastionem	quaestionem
552	28	petulantiae	petulantia
613	12	instatias	instantias
620	1	nve stigantium	investigantium
622	22	invesigationis	investigationis
623	4	circularia,	per circularia
—	20	emanuto	emanato
631	6	collectioes	collectiones